



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Tractatus V. De Summario dilectionis Praecepto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



# TRACTATUS V.

DE

SUMMARIO DILECTIONIS  
PRÆCEPTO.

## SECTIO I.

DE

PRÆCEPTO DILIGENDI DEUM.

### CAPUT I.

*Deum diligere omnes obligantur.*

**A**nte omnia dilectionem sui a nobis Deus requirit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua (Deuteron. cap. 6.).* Unde legis doctori de magno legis mandato inquirenti Christus respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum, (Matth. 22.)* Maximum, quia nempe omnium maxime necessarium, & primum; quia reliqua huic veluti fundamento innituntur. Hinc est, quod Tractatum hunc de summario dilectionis præcepto inscripserimus; summa enim, ac plenitudo legis est dilectio (Rom. 13.). Priusquam igitur singulatim de-

calogi præcepta explicemus de præcepto hoc magno verba sunt facienda, sine quo cætera recte servari nequeunt.

Non dilectionis habitus, sed dilectionis actus nobis hoc præcepto imperatur prout S. Thomas (2. 2. 9. 44.) docet, qui non in fallacibus cogitationibus intellectus consistit, neque in solis teneris & suavibus cordis affectibus. Dei Dilectio proprie est actus voluntatis, sive in hac sistat, sive operibus se prodat. Ponderus est voluntatis, quo Deum antefert omnibus, & super omnia diligit, creaturasque propter eum amat, & omnia ad illum refert. Cum dico Deum a voluntate omnibus præferri, id juxta omnem latitudinem suam dico; nec solum quoad ea, quæ mala sunt, Deo contraria, & nostram cum eo amicitiam valent destruere. Si enim secus loquerer, viderer docere neminem teneri Deum supra creaturas diligere; nulla siquidem creatura est de se mala, nec Dei amicitia adversa. Hinc solum mortali peccato Deus esset anteferendus; hoc enim solum Dei amicitiam destruit. Præstat sane sanctum Augustinum audire; qui sic eximie loquitur (*lib. 1. de doct. Christi, c. 20.*): *Hæc regula divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut teipsum; Deum vero ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas; & totam vitam, & omnem intellectum in eum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ*

quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alie re frui velit: sed quidquid aliud diligendum venerit in mentem, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Quisquis ergo re proximum diligit, tamquam seipsum, totam dilectionem sui & ipsius refert ad illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra potestur, cujus derivatione minuat. Idem dicit divus Thomas, sed more scholastico, ut allet (a).

(a) Duplici modo Deum magis quam creaturas diligere homo potest. 1. *Appretiative*, ita, ut affectuose Deum plus quam creaturas omnes æstimet, paratus quodvis bonum creatum amittere, quam Dei amorem exuere. 2. *Intensive* ita ut actus, quo Deum amat, cujuscumque creaturæ amorem sua energia, vehementia, ac efficacia exsuperet. Hunc ultimum, ut caritatis præcepto satisfiat, necessarium esse Lovanienses contendunt. Doctores alii amore Dei appretiative summo contenti sunt. Hæcque sententia communior, scrupulisque pene infinitis abigendior aptior est. Priori enim qui sententiæ subscribunt, sitne in ipsis Dei amor, proximi aut creaturæ &c. amore intensior continuo pertimescere debent, eoquod præsentis & sensibiles res fortius mentem afficiant, ac appetitum irritent, utut cæteroquin major Dei æstimatio ibidem suam sedem retineat. Sic mater filioli mortem lacrymis deplorens intensius hic & nunc infantulum quam Deum amat; at, num Deo potius, quam filio carere vellet, interrogata utique Dei magis quam pueri jacturam appretiare. Id quod sufficit, licet decentissimum sit, ut quantum fieri potest etiam intensive super omnia Deus diligatur.

Dei cultus, qui in Evangelio proponitur, non est nisi amor. *Pietas* (inquit idem sanctus Augustinus lib. 10. de *Civit. Dei*, cap. 3.) cultus est Dei, nec colitur ille nisi amando. Hoc colitur quod diligitur: unde quia Deus rebus omnibus major aut melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur. Ab hac dilectione vera Religio nomen accepit. Hunc religentes (inquit idem sanctus Doctor) unde religio dicta praeibetur, ad eum dilectione tendimus, hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, & tota virtute praecipimur. Ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa praeccepta, a quibus tota lex pendet & Prophetæ: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & diliges proximum tuum tamquam teipsum. Ut enim homo se diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia, quæ ageret.*

In hoc Evangelii lex ab antiquo distat, quod antiqua timoris & servitutis lex erat; Evangelium autem est libertatis & amoris lex, in qua ideo servantur praeccepta, quia amamus: *Si quis diligit me* (inquit Dei filius *Joan.* 14.), *sermonem meum servabit.* Observa non sic Dominum dicere: *Si quis sermonem meum servat, me diligit; sed: si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Hinc erronea damnatur aperte opinio recentis illius Auctoris, qui asserere ausus est, in sola mandatorum executione Dei amorem consistere, & absque ullo Dei amore servari

illa posse; Deumque a nobis non amorem, sed obedientiam postulare. Idem plerique alii docent; ex quibus hanc quidam rationem afferunt oportere hominem anxium semper fore & anxiosum, utrum Deum plus diligat, quam creaturas quaslibet: deinde addit, hoc pacto diligendi Dei præceptum reddi moraliter impossibile, hominemque perpetuo & omnino incertum an illud impleverit. Quicumque sic loquitur, destruit præceptum Deum diligendi; impossibile hominibus præceptum dedisse Deum accusat; vel hoc a Deo nullatenus esse præceptum: contra nos fides doceat Deum impossibilia non jubere. Evangelii fundamentum sic destruitur, Judæique similes Christiani fiunt; illi siquidem non amore, sed veluti servi ex timore præceptis obediunt: Fideles vero adoptionis spiritum acceperunt, quemadmodum ait sanctus Paulus: *Nos enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater (Rom. 2.)*. Hic clamat, qui a Spiritu sancto proficiscitur, & spes, quam in Deo veluti Patre collocamus, qua paternæ ejus providentiæ nitimur, illiusque semper voluntatem amamus. Filiosne imitatur, qui patrem diligunt, si Dei mandata faciamus, quam ullo amoris sensu in eum feramur?

*Caritas Dei (inquit idem Apostolus Rom. 6.) diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Otiosa non est caritas, imo nil operosius: Omnia vestra (ait sanctus Paulus I. Cor. 16.) in caritate fiant: &*

alibi: *Finis præcepti est caritas (1. Tim. 1.)*.  
Quomodo ergo absque Dei amore ejus præcepta  
servare possumus? Anima, ut ita dicam, bo-  
num opus carebit; seu verius, Dei præceptum  
non implebitur. *Si forinsecus (inquit sanctus*  
*Augustinus Quæst. 54. super Deuteron.) ea,*  
*quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non*  
*fiant; nemo est tam insulsus, qui præcepta arbi-*  
*tratur impleri. Propterea de Judæis idem san-*  
*ctus Doctor ait: Propter mercedem terrenam,*  
*atque carnalem Dei mandata facere conabantur*  
*Judæi; neque faciebant, quia non ipsa, sed aliud*  
*diligebant (in Psalm. 118.).*

Deus igitur amandus est, ut lex impleatur.  
Quomobrem potestne sine horrore legi, quod  
prædictus novus Auctor scripsit, præcepto Deum  
ex toto corde diligendi non amorem ejus præci-  
pi, sed odium verari? Solius dæmonis, & re-  
proborum est Deum odisse, ejusque diligendi  
præceptum durum & non ferendum existimare.  
Estne aliquid, inquit S. Franciscus Salesius,  
amore dulcius? Nonne hæc est naturalis  
hominis passio? Naturalem in ejus corde  
propensionem Deus indidit, non solum ut  
generatim, sed etiam singulariter bonum ama-  
ret, nempe præ cæteris divinam bonitatem,  
qua nihil melius aut suavius. Interim cor-  
rupta est hominis conditio: sanitatem amisit,  
& originalem justitiam; cæcus est ejus intel-  
lectus, & perversa voluntas. Dei tamen su-  
per omnia amandi propensio in eo remansit,  
sicuti & naturalis scientia, qua super omnia  
„ Dei

„ Dei bonitatem amandam cognoscit. Neque  
 „ fieri ullo modo potest, ut attente aliquis  
 „ Deum meditetur, quin ullum amoris ejus  
 „ sensum experiatur, quem naturalis propensio  
 „ clam in corde excitat, & quo in supremam  
 „ hoc objectum vix apprehensum voluntas fectur,  
 „ tur, eoque delectatur.

Quamvis autem relicta sit hæc propensio  
 adeo tenuis & infirma est propter concupiscentiam  
 in statu naturæ lapsæ, ut diserte docet  
 divus Thomas nullum modo naturalem erga  
 Deum amorem in homine reperiri. *Homo (sic  
 quæ ille 1. 2. quæ. 109. art. 2.) in statu naturæ  
 integræ non indiguit divinæ gratiæ gratuito  
 auxilio viribus naturalibus superaddito ad Deum  
 super omnia naturaliter diligendum, quamquam  
 Dei ad hoc moventis auxilio ei opus esset: at in  
 statu naturæ corruptæ indiget ad hoc gratia ipsius  
 naturam interius sanante.* De Dei, velut naturæ  
 & gloriæ auctoris, amore id est intelligendum;  
 docet siquidem sanctus Doctor, hominem  
 lapsum non posse naturaliter Deum amare, fieri  
 poterat Adam in statu innocentia. Docet præterea,  
 non potuisse Adam solis naturæ viribus Deum  
 veluti gloriæ auctorem diligere; unde colligitur  
 amorem illum, quem in Adam innocente supponit,  
 & qui in homine peccatore non reperitur, non esse  
 supernaturalem amorem quem Adam absque gratiæ  
 auxilio habere non potuit, sed naturalem amorem,  
 quo Deum veluti generale universi bonum amabat,  
 & ad illum referebat amorem, quo seipsum & creaturam  
 reliquas prosequatur.

Præterea idem sanctus Doctor aperte ait: Cum per caritatem dirigatur homo in ultimum finem, ut ad ea disponatur, quibus ipsum affe- quatur, conveniens fuit de caritate aliqua dari præcepta (2. 2. qu. 44. ar. 1.). Et alibi in- quit: Modus caritatis cadit sub illo divinæ le- gi præcepto, quod specialiter de dilectione Dei & proximi datur, non autem sub cæteris præ- ceptis. Considerari enim potest actus caritatis secundum quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc spe- cialiter datur, scilicet: Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum. Alio modo potest considerari actus caritatis secundum quod est modus aduum aliarum virtutum, hoc est se- cundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad caritatem, quæ est finis præcepti, ut dicitur 1. Tim. 1. Et hoc modo verum est, quod mo- dus caritatis non cadit sub præcepto: hoc est quod in hoc præcepto, honora patrem, non includitur, quod honoretur pater ex caritate, sed solum quod honoretur: unde qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur transgressor huius præcepti, etsi sit transgressor præcepti, quod est de actu caritatis, propter quam transgressionem meretur penam (1. 2. qu. 100. art. 10.).

Subdit idem Doctor: Sub præcepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum caritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honora- re,

re, non ex vi hujus præcepti: *Honora patrem sed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo.* Parum igitur christiane loquitur Auctor, cujus sententiam attulimus, dum docet, ex caritatis præcepto nos non teneri Deum unice diligere, & nostris commodis ejus gloriam anteferre; posse veram perfectam caritatem ab eo possideri, qui presentia semper sectatur, & qui sua præcipua quærit, quin propterea a potiori dilectionis suo objecto recedat; quemadmodum in beatis evenit, qui mala omnia respicientes, retributionem quærunt, quin a Deo recedant. Hæc doctrina Theologum non refert, qui sanctum Paulum sic aperte docentem audierit: *Caritas non quærit, quæ sua sunt (1. Cor. 13.),* caritatis veram naturam & perfectionem destruit. Imo & ab ipsa ethnicorum philosophia reprobatur; perfecta siquidem amicitia amici commoda suis commodis præfert. Nonne ait sanctus Joannes: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo?* additque: *Qui diligit mundum, non est caritas Patris in eo (1. Joan. 2.).* Quomodo potest id cum memorati Doctoris verbis convenire, qui licitum dicit sua imprimis quærere.

A veritatis via vehementer errat Casuista recentior, dum docet, Christianos sub gratiæ lege viventes non teneri supernaturali caritate Deum tam frequenter diligere, ut mortale peccatum, æternamque vident damnationem, cum ad hæc vitanda sufficiat attritio; sub veteri vero lege

lege debuisse homines supernaturali caritate frequentius Deum diligere, quam in nova lege debeant Christiani. Ante legem gratiæ, inquit ille, & antequam singulari misericordia Deus Sacramenta instituisset, quæ cum attritione eadem suscipientes justificant, ita ut horum Sacramentorum virtute supernaturalem caritatem accipiant, quemadmodum habentes contritionem absque Sacramentis eandem accipiunt, tenebantur homines supernaturali caritate Deum frequentius diligere, quam in lege nova Christiana. Qui sic loquitur, duarum legum statum perturbat, dum veteri amorem, & novæ timorem assignat, quod cum earum natura omnino pugnat.

CAPUT II.

*Dilectio Dei non minus affectiva quam effectiva Christianos obligat.*

Fateor quidem amorem alium esse affectivum, alium vero effectivum; sed non eo sensu, quem præfert Auctor libri, cui titulus *Defensio virtutis*. *Affectivi* namque amoris nomine piusculosque affectus sunt intelligendi, quibus Sancti plerique viri ac mulieres flagrant; in *effectivo* autem amore, quo Dei mandata servantur, nefas est dicere nullum interioris amoris effectum reperiri, quamvis affectus hic non sit sensibilis, & in voluntate moretur, ac lateat, etiam cum homo operatur: secus non esset hæc actio Christiana, sed naturalis, ethnica, vel ad summum Judaica.

Mire

Mire hanc distinctionem, verbisque simplicibus explicat sanctus Franciscus Salesius. „ ritas, inquit ille, est sacra dilectio; „ pulchrior quam Rachel, quæ humano spiritu „ tui copulata sanctas operationes parere semper „ optat. Quod si propria virtute concipere illi „ nequit, sacra illique propria unione virtutum „ cæteras tamquam ancillas suas vocat, suoque „ conjugio copulat, jubens spiritui ut illis virtutibus „ rur ad sanctas gignendas actiones, quas illi „ adoptat, suasque appellat, quia suo jussu „ suo sunt spiritu genitæ. Sed duos præterea „ actus habet hæc divina dilectio, qui ex se „ proprie exeunt ac promanant, quorum alter „ est effectivus amor, qui veluti novus Joseph „ reginæ auctoritatis plenitudine urens, nollens „ rum virium, potentiarum, passionum, „ affectuum populum moderatur, Deique virtutibus „ luntati subdit, ut super omnia Deus diligantur „ illique vires, potentia, passiones, affectusque „ omnes serviant, ac pareant, magnumque „ illud cæleste præceptum impleant: Dilige „ Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & „ tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus „ nibus viribus tuis. Alius vero actus est amicus „ affectivus, qui veluti parvus Benjamin summe „ me est delicatus, tener, jucundus, & amabilis; „ lis; sed ideo hic Benjamin præstat, quod „ mater ejus caritas pariens non moritur, sed „ novam veluti vitam vivit propter amoris „ cunditatem.

Post magni hujus Episcopi, nuper in Sancto-  
rum album ab Ecclesia relati, auctoritatem,  
vehementer miror horribilem hanc propositio-  
nem a nonnullis defendi, videlicet Dei diligen-  
di præcepto nos satisfacere, si servemus Deca-  
logum; cæterum nos solum moneri, nobisque  
tantumtaxat consilium dari, ut frequenter pro vi-  
ribus amoris actus eliciamus. Si vera esset hæc  
doctrina, damnandus esset Apostolus inquiring:  
*Si quis non amat Dominum nostrum Jesum  
Christum, sit anathema (1. Cor. 16.).* Cum  
in Evangelio Legisperitus Dei filium sic interro-  
gasset: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?*  
(Luc. 10.), utique id petiit, quod ad vitam  
æternam obtinendam omnino est necessarium.  
Cumque illi dixisset Dei filius: *In lege quid  
scriptum est?* respondit Legisperitus: *Diliges  
Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex  
tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, &  
ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te-  
ipsum.* Tunc ait illi Christus: *Recte respondi-  
sti: hoc fac, & vives.* Hinc eruitur, interio-  
rem Dei dilectionem, de qua profecto hic tex-  
tus loquitur, ad vitam æternam assequendam  
esse necessariam.

Cum Baptismum suscepturus offertur infans,  
Sacerdos illum admonet: *Si vis ad vitam  
ingredi, serva mandata. Diliges Dominum  
Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima  
tua, & ex tota mente tua; & proximum tuum  
sicut teipsum.* Patet ex hisce verbis, ab Ecclesia  
inter præcepta recenseri illud diligendi Deum,  
ita

ita ut absque hoc amore cætera præcepta fieri oportet servari nequeant. Hoc præcepto adstringimur, cum Ecclesiæ adscribimur, cum per Baptismum renascimur, Deique filii efficiamur. Quomodo igitur Baptismi sui promissa implere ille censendus est, qui toto vitæ suæ tempore nullum amoris Dei actum protulerit? Quomodo absque hoc amore debitus Deo cultus exhiberi potest, vera nempe pietas & religio? verum siquidem pietas juxta sanctum Augustinum est Dei dilectio. *Hoc colitur* (inquit ille in *Psalm. 77.*), *quod diligitur*; unde quia Deus rebus omnibus major aut melior invenitur, plus omnibus diligendus ut colatur. Et alibi ait: Deus nostræ potestatis fons est, nostrique appetitus finis. Hunc eligentes, seu potius religentes, amiseramus enim negligentes; hunc ergo religentes, unde religio dicta perhibetur, ad Deum dilectione tendimus, ut perveniendo requiescamus: ideo beati quia illo fine contenti (*lib. 10. de Civit. Dei c. 13.*). Libenter hunc textum propter mirram ejus pulchritudinem afferro.

Diserte adeo Angelicus Doctor illusoriam hanc relati Auctoris distinctionem refutat, ut ejusdem Summam solummodo aperire sufficiat ad malam hanc doctrinam confutandam (*2. 2. qu. 147. a. 4. qu. 44. a. 1. qu. 31. a. 4. ad 1. qu. 33. a. 2. qu. 32. a. 5.*). Verum quoniam ejus librum confutare, quod alii jam præstiterunt, mihi non est propositum, enucleatius examen non instituo: quæ autem hætenus dixi sufficere arbitror, ut intelligant Christiani præceptum



ceptum hoc affirmativum sit, non pro omni  
 sed aliquo vitæ tempore, certisque dumtaxat in  
 circumstantiis hominem obligabit. Has circa  
 temporis circumstantias Auctores diversi diversi  
 modo sentiunt. Omnibus diebus festis dilectio-  
 nis actum esse eliciendum Scotus docet. Homi-  
 nem statim, ac rationis usum est adeptus ad  
 dilectionis actum teneri divus Thomas probat.  
 Auctores alii paschale tempus, alii quinquen-  
 nium, alii denique vagam temporis differentiam,  
 aut unicum mortis articulum assignant. Hæc  
 tamen posteriores opiniones frigida nimis, et  
 falsa sunt (a). Juxta hanc siquidem doctrinam  
 posset homo quinque vel septem annos, totam  
 imo vitam transigere, quin ullum amoris Dei  
 actum eliciat; qui enim pro obligatione ista mor-  
 tis tantum articulum designat, hominem tunc

(a) Propositiones, quæ caritatis præceptum pro-  
 pmodum evacuant, præter alias summa Sede  
 sequentes damnavit: *Homo nullo unquam vitæ  
 suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, &  
 caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas  
 virtutes pertinentium.* Alexander VII. a. 1665.  
*An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei  
 semel tantum eliceret, condemnare non audeamus.*  
 Item: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose  
 quinquenniis per se obligare præceptum caritatis.*  
 Item: *Tunc solum obligat (præceptum caritatis)  
 quando tenemur justificari, & non habemus aliam  
 viam, qua justificari possumus.* Innocentius XI.  
 a. 1679. *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem  
 ultimum (Deum) interpretative.* Hunc homo non  
 tenetur amare neque in principio, neque in decursu  
 vitæ suæ moralis. Alexander VIII. a. 1690.  
 Quibus doctrina tradita mire roboratur.

Sæpius in vita dilectionis obligatio &c. 355

amoris Dei actum elicere debere docet, cum homo morbo pressus, aut nullo modo, aut remitte admodum hunc actum exercere potest. Sicque nulla, aut incerta dilectionis obligatio foret.

Ut igitur in re adeo implexa certiora statuamus I. Deum non tantum semel in vita, sed sæpius per vitæ decursum diligendum esse asserimus. Id namque Deus ipse, postquam magnum dilectionis præceptum Moyse tradidit, his subjunctis innuit: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo. Et narra- bis ea filius tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur ante oculos tuos (Deut. 6.).* Ad quid autem istius præcepti continua meditatio, versatio &c. si frequentior dilectionis obligatio per vitam, imò per annum hominem non stringit? Mundani amoris, ac concupiscentiæ motus suppressere, & ne hi habitualement omnino caritatem exsufflent invigilare homo teneretur. Concupiscentiæ autem suppressio, & caritatis conservatio per nihil aptius quam per repetitos dilectionis Dei actus obtinetur. *Habet (inquit S. Augustinus in Psalm. 121.) omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est, ut ducat. Sed vis nosse, qualis amor sit? Vide quo ducat: Non ergo monemus, ut nihil ametis; sed monemus, ne mundum ametis; ut eum, qui fecit mundum, libere ametis.* Sæpius itaque  
Z. 2 ne

ne omnino cor frigere incipiat, divini amoris succendi ignis debet.

2. Prout probabilius divus Thomas (1. 2. Q. 89. art. 6.) existimat initio usus rationis, ubi homo de eligendo aliquo ultimo fine deliberare tenetur, & ad illum rite electum se, suaque omnia referre, quæ relatio per ipsum amoris actum perficitur.

3. In fine vitæ, aut gravi vitæ periculo, tunc enim animæ nostræ salutem, quantum possumus, consulere obligamur, Deoque juncti ex hoc mundo transire; quæ conjunctio salutifera per dilectionis actum vel primo efficitur, vel magis stabilitur. Ut ergo præter fidei, spæ, & doloris actus adhuc caritatis affectum ægrotis suggerat, Confessario incumbit.

4. Cæterum quin peculiare hujusce actus eliciendi tempus assignetur, id rationabilius esse firmandum esse videtur, amoris Dei actum sæpius pro viribus esse iterandum, & præcipue  
 1. Dum gravis tentatio urget. 2. Cum ingens a Deo beneficium petimus, vel jam accepimus.  
 3. Cum homo tenetur aut vult justificari extra sacramentum. 4. Quoties præceptum aliquod stringit, quod sine dilectionis actu aut ægre, aut non nisi imperfecte &c. impleri potest. Hæc proin Deum diligendi gravis obligatio per annu cursum pœnitentibus sæpius est exponenda, iis præprimis qui periculoso teporis morbo laborant, & quæ Dei sunt, parum curant, ipsaque Sacramenta semel, aut raro intra annum sa-



*vicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipulus  
mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem  
(cap. 13.).* Magnam instructionem singula  
hujusce textus verba continent, seduloque sunt  
consideranda. Primum, quod observo, est non  
dixisse Dominum: *Hoc est mandatum, quod  
do vobis, ut Deum tamquam Patrem vestrum  
diligatis, & me tamquam Redemptorem vestrum;*  
quod revera christianæ Religionis fundamentum  
est, sed: *ut diligatis invicem.* Deinde observo  
mandatum hoc *novum* appellari. Sanctus Au-  
gustinus hanc affert rationem, quare novum  
dicatur, quia Christianus, inquit, proximi dile-  
ctione veterem hominem exiit, & novum  
induit. Ajunt Interpretes novum dici, quasi re-  
novatum; cum enim Dominus proximi dilectio-  
nem in hominum cordibus pene deletam repe-  
risset, illam instauravit: vel ideo novum vocari,  
quod sit excellens, nam hoc mandatum cæteris  
supereminet. Verum potiozem illam hujusce  
novi

---

mediocriter pii ac devoti gradatim ad perfectio-  
rem Dei amorem sunt ducendi. Amoris Dei  
super omnia tres gradus distingui solent. In *Primo*  
Deus cuilibet creato bono antepositur, ita,  
ut hoc potius privari homo velit, quam Deum  
*gravi peccato* offendere. In *secundo* Deus ita vili-  
matur, ut potius quovis bono temporali carere  
homo eligat, quam Deum suum plene deliberato *peccato*  
*veniali* offendere. In *tertio* ita Deus, ejus-  
que beneplacitum attenditur, ut sive in prosperis,  
sive adversis homo nihil velit, nisi Deum,  
& propter Deum, ideoque semper eligat, quod  
est perfectius, omnesque *voluntarias imperfectio-  
nes* excludat.

novitatis explicationem existimo, quæ ex novo  
objecto & ratione proximum diligendi eruitur,  
quam Dei filius docet. Dominus enim in tex-  
tus ejusdem serie ait: *Ut diligatis invicem, sic  
ut dilexi vos.* Sic igitur diligendus est proxi-  
mus, quomodo Christus nos dilexit. Docet  
nos fides, Christum nos dilexisse veluti corpo-  
ris sui mystici membra, nosque propterea illi  
adherere nova conjunctione, que ex Incarnatio-  
ne oritur, in qua humana natura Divinitati co-  
polatur, & per eam omnes homines, ita ut  
unum sint corpus, cujus caput est Christus.  
*Unum corpus* (ait sanctus Paulus *Ephes. 2. &  
4.*) *& unus spiritus.* Ipse enim est pax nostra,  
qui fecit utraque unum... *legem mandatorum de-  
creti evacuans, ut duos condat in semetipso in-  
ternum novum hominem, faciens pacem, & recon-  
ciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.*  
Nos itaque debemus invicem diligere, veluti  
ejusdem corporis membra: *Omnes* (subdit  
Apostolus *I. Cor. 10.*) *unum corpus multi sumus,  
qui de uno pane participamus.*

Quemadmodum ergo Christus Jesus veluti  
corporis sui membra nos amans bona illa in no-  
bis amat, quæ huc spectant, nec in fortunæ,  
vel corporis, vel naturæ bonis existunt; neque  
nos hæc eadem in proximo, veluti amoris no-  
stri objectum aut finem debemus diligere: om-  
nia siquidem hæc bona iis æque communia esse  
possunt, qui vera Christi non sunt membra, ac  
iis qui in ejus unitate vivunt. Proximi corpus  
diligi potest, sed veluti in Baptismate renova-  
tum,

tum, & in vitam æternam olim resurre-  
rum. Potest & anima diligi, sed quæ Deo sub-  
datur, & fidei radiis illustretur; nam spiritus  
qui hac scientia caret, veteris hominis est spi-  
ritus, quem neque Deus neque Christus amat.

Nos Jesus Christus amavit, ut suam in nobis  
unitatem perficeret, idest ad æternam nos glo-  
riam eveheret. Proximus igitur veluti ad hanc  
gloriam vocatus est diligendus, ad eamque salu-  
quendam juvandus; proximum enim sicut nos  
ipsum debemus diligere, quemadmodum scrip-  
tum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*  
neque nosmetipsos bene diligimus, si non pro-  
pterea diligimus, ut summum bonum, idest  
Deum assequamur. Explicans sanctus Augu-  
stinus, quare nil Deus de amore, quo nos ipsi  
diligimus, differuerit, nec nos hujusce amoris  
modum docuerit, eximie ait: *Parum dilucide*  
*qui hoc arbitratur, intelligit* (de morib. Eccl.  
cap. 26.). Additque: *Imo vero ille solus se no-*  
*vit diligere, qui Deum diligit: siquidem ille scit*  
*se diligit, qui sedulo agit, ut summo & vero*  
*perfruat bono. Non enim qui se diligit aliquid*  
*vult esse, quam beatus; hic autem finis est adha-*  
*rere Deo* (de Civit. Dei cap. 3.). Quamob-  
rem non tribus opus est præceptis, videlicet de  
Dei amore, de amore sui ipsius, & de amore  
proximi; sed duo tantum præcepta sufficiunt,  
de quibus dicitur: *In his duobus mandatis uni-*  
*versa lex pendet & prophetæ* (Matth. 22.) (a).

(a) Sicut dilectionem Dei, ita & caritatem proximi  
finistre quidam Moralistæ sunt interpretati.  
Horum

De solo proximum diligendi præcepto sanctus Paulus meminit, & in hoc reliqua comprehendit: *Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occideris, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum (Rom. 13.)*

Hinc discant parentes, quomodo filii sint amandi; domini, quomodo famulos amare oporteat; amici, quomodo amicos; non enim hi sunt amandi propter solas eorum naturales qualitates, nec ut iis temporalia bona conquiramus, sed ut instructione, punitione, & bono exemplo vitam illis æternam procuremus. *Si qui sorte (inquit sanctus Augustinus tract. 7. in epist. Joan.) vultis servare caritatem, fratres, ante*

---

Horum laxitati limites Innocentius XI. posuit, dum anno 1679. istas propositiones proscripsit: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali, num. 10. Item: Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos, num. 11.* Propositiones alias hisce similes, aut omnino deteriores in locis propriis afferemus. Porro convenientius proximum actu interno diligendi tempus assignari nequit, quam 1. Cum præceptum dilectionis Dei urget: 2. Cum actum caritatis proximi externum, puta correctionem fraternam, eleemosynam &c. ponere tenemur. Caritatem enim *non fictam*, id est non mere externe jactatam, sed sinceram Apostolo teste Deus a nobis requirit. Quandonam ad actus caritatis externos obligemur, postea dicetur.

ante omnia ne putetis abjectam & desidiosam  
 nec quadam mansuetudine, immo non mansuetu-  
 dine, sed remissione & negligentia servari carita-  
 tem. Non sic servatur. Non putes tunc  
 amare servum tuum, quando eum non cædis  
 aut tunc te amare filium tuum, quando ei no-  
 das disciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum  
 quando eum non corripis. Non est ita caritas  
 sed languor. Ferveat caritas ad corripiendum  
 ad emendandum; si sunt boni mores, delectentur  
 si sunt mali, corrigantur. Noli in homine ama-  
 re errorem, sed hominem. Hominem enim Deus  
 fecit, non errorem; ipsum homo fecit. Amas  
 illud quod Deus fecit: noli amare quod ipse homo  
 fecit; cum illud amas, illud tollis; cum illud  
 diligis, illud emendas. Sed etsi scævis aliquando  
 propter correctionis dilectionem, propterea  
 columba demonstrata est caritas quæ venit super  
 Dominum: species illa columbæ in qua venit Spi-  
 ritus sanctus, in quo nobis caritas infunderetur.  
 Quare hoc? Fel columba non habet; tamen  
 rostro & pennis pugnat, & sine amaritudine  
 scævit.

Illud quoque circa dilectionem summopere  
 est considerandum, quod Dominus ait: In hoc  
 cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilec-  
 tionem habueritis ad invicem (Joan. 13.).  
 Quemadmodum Circumcisio proprius Judæorum  
 character erat, quo a cæteris populis distingue-  
 bantur; sic Baptismus proprius Christianorum  
 est character, quo ab Infidelibus separantur.  
 Attamen Dei filius non Baptismo, sed mutua  
 dilectio

dilectione Christianos cognoscendos fore ait. Quare illam Tertullianus summum fidei Sacramentum vocat ( de Patient. ). Hæc dilectio Dei filios nos facit. Omnis ( ait sanctus Joannes Epi. 1. c. 3. & 4. ), qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Quæ non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est. Qui non diligit, manet in morte.

Si bene hæc verba intelligantur, facile quæstiones plures circa proximi dilectionem enodabimus, & recentiorum Casuistarum, qui multis caritatem modis infirmant, resolutiones nonnullas confutabimus.

Amplius ( ait sanctus Augustinus lib. 1. de doctr. Christ. ) alius homo diligendus est, quam corpus nostrum: quia propter Deum omnia illa diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus; quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo. Docet autem divus Thomas ( 2. 2. quæst. 26. art. 5. ), Quod illud est magis ex caritate diligendum, quod habet pleniorum rationem diligibilis ex caritate. Consociatio autem in plena participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus. Et ideo proximum quantum ad salutem animæ magis debemus diligere, quam proprium corpus.

Addit

Addit præterea, quod corpus nostrum propinquius animæ nostræ quam proximus, quantum ad constitutionem propriæ naturæ; sed quantum ad participationem beatitudinis, major consociatio animæ proximi ad animam nostram quam etiam corporis proprii. Et ideo est necessitate caritatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, in casu quo tenetur ejus saluti providere. Idem aperte docuit Dominus Joannes inquit: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animam ponere (1. Joan. 3.).* Hinc in suis diocesis Episcopi, & in suis parochiis Parochi deesse debent tempore pestis, aut grassante hæreticæ fidei everfionem minatur. Tunc enim bonus Pastor a mercenario secernitur; siquidem bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem fugit, qui mercenarius est & non pertinet ad eum de ovibus (Joan. 10.)

Hominum aliquem plus alio debemus diligere, idest juvare, illique opitulari debemus sed caritate, qua æternam proximo optamus beatitudinem, omnes æque sunt diligendi. Verum diligere debemus, inquit sanctus Augustinus, ut omnes diligant nobiscum Deum; & totum quoque ad eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum est. Omnes autem homines æque diligendi sunt. Sed cum omnibus proficere non possis, his potissimum consulendum est qui pro temporum & locorum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi

quodam sorte junguntur. Juxta hoc principium  
 (ait divus Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 8. 9.  
 to. II.) *Conjunctio naturalis originis est*  
*prior & immobilior, quia est secundum id quod*  
*pertinet ad substantiam, alia autem conjunctio-*  
*nes sunt supervenientes, & removeri possunt; &*  
*vitio amicitia consanguineorum est stabilior.* Per-  
 git idem sanctus Doctor in sequenti articulo  
 sic: *Gradus dilectionis ex duobus pensari po-*  
*test. Uno modo ex parte objecti, & secundum*  
*quod habet majorem rationem boni. Et sic pater*  
*magis est diligendus quam filius, quia scilicet pa-*  
*trē diligimus sub ratione principii, quod habet*  
*rationem eminentioris boni, & Deo similioris.*  
 Alio modo computatur gradus dilectionis ex par-  
 te ipsius diligentis, & sic magis diligitur quod est  
 conjunctius. *Et secundum hoc filius est magis*  
*diligendus quam pater, quia parentes diligunt*  
*filios ut aliquid sui existentes, pater autem non*  
*est aliquid filii; & ideo dilectio secundum quam*  
*pater diligit filium similior est dilectioni, qua quis*  
*diligit seipsum.*

Addit idem sanctus Doctor articulo decimo:  
*Per se loquendo pater est magis amandus, quam*  
*mater; amantur enim pater & mater ut princi-*  
*pio quædam naturalis originis, pater autem ha-*  
*bet excellentiorem rationem principii quam mater.*  
 At caritatis ordine debet illos Christianus ante-  
 ferre, qui Deo magis sunt conjuncti, quam  
 quos sibi natura copulavit; hinc si mater virtute  
 ac pietate excelleret, vitioso patre plus esset  
 amanda.

Articulo demum undecimo sic ait sanctus  
 Doct̃or: *Dicitur ad Ephes. 5. vir debet dilige-  
 re uxorem suam, sicut carnem suam, sed corpus  
 suum minus debet homo diligere, quam proxi-  
 mum: inter proximos autem magis debemus pa-  
 rentes diligere: ergo magis debemus diligere pa-  
 rentes, quam uxorem: Quamquam vero uxor  
 intensius diligatur, tanquam magis conjuncta  
 major tamen est ex caritate parentibus reverentia  
 exhibenda. Porro ad id, quod Gen. 2. dicitur  
 propter uxorem relinquet homo patrem & ma-  
 trem: dicendum, quod non quantum ad omnia  
 deseritur pater & mater propter uxorem; in  
 quibusdam enim magis debet homo assistere paren-  
 tibus, quam uxori: sed quantum ad unicuique  
 cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo  
 adhæret uxori. Non omnes in hoc conveniunt  
 Theologi: verum hæc est doctrina divi The-  
 ologi.*

## CAPUT II.

*Inimicorum dilectio obligatoria est,  
 præcipua Christiani hominis nota.*

**M**agnum caritatis præceptum est inimicorum  
 dilectio, quod Christianorum est proprium.  
 Cum enim apud sanctum Matthæum Dominus  
 excellentius aliquid Fidelibus vellet tradere  
 quam Judæis traditum fuerat, sic illos alloquitur:  
*Audistis quia dictum est. Diliges proximum  
 tuum, & odio habebis inimicum tuum.*  
 Hæc erat lex servitutis. *Ego autem dico vobis  
 Diligite inimicos vestros, benefacite his qui odia-*

I. *Inimicorum dilectio obligatoria est* Sc. 367

runt vos, & orate pro persequentibus & calum-  
niantibus vos: ut sitis filii patris vestri, qui so-  
lem suum oriri facit super bonos & malos, &  
pluit super justos & injustos (cap. 5.).

David homo juxta cor Dei Sauli bis ignovit,  
cum interficere posset; & de suis inimicis aper-  
te sic loquitur: *Si reddidi retribuendis mihi*  
*mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*  
*(Psalm. 7.).* Et alibi: *Ego autem, cum mihi*  
*molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in je-*  
*junio animam meam; & oratio mea in sinu meo*  
*convertetur. Quasi proximum, & quasi fra-*  
*trēm nostrum, sic complacebam: quasi lugens,*  
*& contristatus sic humiliabar (Psalm. 34.).*

Sic ante Evangelium difficillimum præcep-  
tum eximie exercebat, nobisque illustre illius  
servandi tradebat exemplum. *Admonemur* (in-  
quit sanctus Augustinus in *Psalm. 34.*) *in om-*  
*ni tribulatione nostra non cogitare quemadmodum*  
*respondeamus inimicis nostris, sed quemadmodum*  
*orando Deum propitiemus, & maxime ne tenta-*  
*tione vincamur; deinde ut etiam illi, qui nos*  
*persequuntur, ad sanitatem justitiæ convertantur.*  
Apud Ecclesiasticum legebat Judæi: *Relinque*  
*proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi*  
*peccata solventur (cap. 28.).* Sapiens vero  
in Proverbiis sic ait: *Si esurierit inimicus tuus,*  
*dona illi: si sitierit, da ei aquam bibere (cap.*  
*25.).* Quomodo ergo persuadere sibi poterant  
Judæi, a Deo sibi permissum inimicos odio ha-  
bere?

Hæc

Hæc verba, quibus abutebantur: *Odio habebis inimicum tuum*, nullibi leguntur in sacris Litteris: hæc erat Phariseorum additio, qui per pravis suis interpretationibus legem Moysi corruperant. Cum enim in Levitico Deus dixisset: *Diliges amicum tuum* (cap. 23.), contrariorum lege ipsi inferebant, inimicum odium habendum. Sane Israelitis præceperat Deus, ut idololatrias vicinas nationes perderent, & præcipue ne Ammonitis quid boni facerent: *Ne quaras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ* (Deut. 6.) verum non de Israelitis hoc est intelligendum, neque de extraneis quoad formale internum odium. Contra sic illis Deus præceperat: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te portare sub onere, non pertransibis, sed sublevaris cum eo* (Exod. 23.). Quomodo ergo permisserat Deus Israelitis, ut inimicos suos odissent, si horum etiam jumenta juvare illis præceperat?

Ex naturali jure inimicorum dilectio promittitur, & in proximi dilectione fundatur, qui cum homo sit, nostræque naturæ sit particeps, nobis est diligendus. Id explicans divus Thomas ait: *Dilectio inimicorum tripliciter potest considerari. Uno quidem modo, ut inimici diligantur in quantum sunt inimici: & hoc est per se ipsum caritati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, scilicet in generali universali: & sic dilectio inimicorum est de necessitate caritatis, ut scilicet aliquis diligens Deum*

II. *Inimicorum dilectio obligatoria est &c.* 369

Odio huiusmodi proximum, ab illa generalitate dilectionis in facis proximi inimicos suos non excludat. Tertio motio, quod potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu Moyse dilectionis ad inimicum: & istud non est de necessitate caritatis absolute, quia nec etiam moveatur in motu dilectionis in speciali ad quoslibet hominem singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc est impossibile. Est tamen de necessitate caritatis secundum preparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret (2. 2. quæst. 25. art. 81.). Aperre si- quidem ait Apostolus: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi (Rom. 12.).

Nec sufficit inimicos suos non odisse, generali insuper dilectione sunt amandi, & generalia omnia erga illos caritatis officia sunt præstanda, veluti æternam vitam iisdem cupere, pro eorum conversione orare, omniaque illis communia amicitiae signa exhibere, videlicet salutationem reddere, illosque alloqui, & invisere, nisi pro illorum emendatione a nostro aspectu arceamus, sicut David Absalomo post fratris sui necem aspectum suum negavit. Particularia vero amicitiae signa, quæ solis præstantur amicis, veluti familiarem conversationem, convivium, hæc similia inimicis tribuere caritas sub lethali peccato non jubet, nisi hæc negando gravis scandali tribueretur occasio. Qui ergo inimicis suis parcere se dicunt, illosque nec

Godeau Theol. Mor. Pars I.      A a      salu-

salutare volunt, neque aspicere, falluntur pro-  
fecto. Odium suum tegunt, quod clam in eo-  
rum cordibus semper vivit, communia siquidem  
societatis officia inimicis suis negant. Non igitur  
solummodo propter scandalum, quod haec  
inimicis officia negando aliis tribuitur, Deo  
læditur; verum etiam quia horum officiorum  
omissio præcepto proximum diligendi opponitur,  
cujus observatio non ab hominum æstima-  
tione, aut judicio pendet, qui bonum malum  
dicunt, & malum bonum. Quamobrem ista  
solutio est neganda, qui inimicos suos nec salu-  
tare volunt, nec aspicere, nisi justa adsint ratio-  
actiones hasce omittendi.

Ad perfectionem spectat ea inimicis præbe-  
re, quæ passim erga amicos exercentur. Hoc  
nobis in Evangelio præceptum tradidit Dominus  
*Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester  
caelestis perfectus est (Matth. 5.)*, sicque sum-  
me de diligendis inimicis præceptum concludit.  
Majoris sane perfectionis est inimicum diligere  
quam amicum. Commendat (inquit sanctus  
Paulus *Rom. 5.*) caritatem suam Deus in nobis  
quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum  
tempus Christus pro nobis mortuus est: cum enim  
inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem  
filii ejus. Itaque inimicorum dilectio erit ex-  
cellentior, quoniam magis ad Dei dilectionem  
propinquat. Mire explicat sanctus Augustinus  
quidquid in hoc negotio potest contingere, in-  
quiens: *Reddere bona pro malis, non reddere  
mala pro malis, reddere bona pro bonis, reddere*

*Inimicorum dilectio obligatoria est* Sc. 371

*mala pro malis, non reddere mala pro bonis: horum duo prima bonorum sunt, & eorum duorum prius melius: postrema duo malorum, & eorum posterius deterius: duo media quodammodo mediocria, sed eorum prius propinquum bonis, posterius propinquum malis. Hæc in Scripturis sacris oportet attendere (in Psalm. 108.). Apostolus Paulus Fideles sic monet: Nulli malum pro malo reddentes (Rom. 12.), idemque repetit Apostolus Petrus inquit: Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto (1. Petr. 3.).*

*Amicorum dilectio impura plerumque est & carnalis, & de ea sic Dominus loquitur: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt (Matth. 5.)? Sanctus vero Augustinus inquit: Homo hominem vincit humana felicitate; diabolum inimici dilectione. In statu naturæ lapsæ, in quo nullam homo injuriam pati potest, ac vindictam semper optat, difficilior est inimicorum dilectio, sicque præmio quoque dignior.*

*Attamen contra hanc dilectionem non peccaret, qui inimico suo temporale aliquod malum cuperet, quod ad ejus correctionem & salutem proderet. Sic enim non odio, sed amore prosequimur inimicum; sicut optare liceret, ut omnes improbi, qui civitatem turbant, aut scandalizant, propter publicam utilitatem e medio tollerentur. Verum hæc desideria valde sunt periculosa, & animus ab omni vindictæ desiderio purus esse debet, quod facile nimis regitur*

salutis inimici, aut publici boni zelo. Cum dixisset sanctus Paulus: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi*, subdit: *Hoc enim faciens congeres carbones ignis super caput ejus* (Rom. 12.). Variè hunc textum explicant Interpretes: quidam putant id intellexit Apostolum, nempe collatis inimico suo beneficiis, caritatis ignem in ejus corde excitari, & gratum animum; alii putant hisce ignis carbonibus significari, collatis inimico beneficiis De iram adversus illum accendi, nisi poeniteat. Sic explicant sanctus Joannes Chrysostomus, Theodoretus, & Theophylactus; sed hæc explicatio non bene Apostoli fini convenire mihi videtur, videlicet ad proximi dilectionem commendandam: nam qui in hostem beneficia conferret, ejusdem a Deo sperans vindictam, christianum opus non ageret.

Prima igitur explicatio mihi magis arridet, quam tradit sanctus Hieronymus inquit: *Carbones ignis congregabis super caput ejus, non in maledictionem & condemnationem, ut plerique existimant, sed in commotionem & poenitentiam, ut superatus beneficiis, excoctus fervore caritatis inimicus esse desinat* (lib. 1. Dial. contr. Pelag.). Hæc est quoque sancti Augustini Sententia, qui ait: *Ut intelligas carbones ignis esse urentes poenitentiae gemitus, qua superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo misericordia ejus subvenitur* (lib. 1. de Doctr. Christi. cap. 10.).

Davidis cor ab omni vindictæ cupiditate purum habere oporteret, & cum illo divina justitia

Inimicorum dilectio obligatoria est &c. 373

tae jura tueri, & sic clamare: *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur & erubescant valde velociter (Psalm. 6.). Averte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos (Psalm. 53.).* Non enim David inimicorum suorum ruinam petebat, ut iram suam expleret, sed ut illi ad cor redirent, & converterentur, vel ut eorum supplicio Dei justitia exaltaretur. Alibi dicitur: *Latabitur justus, cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris (Psalm. 57.).* Deo relinquenda est vindicta, sed non ut vicem nostram gerat, ut jura nostra farciat, ut nos ulciscatur. Nostri sanguinis vindictam optare licet; sed Martyres imitari oportet, qui in Caelo clamant: *Vindica sanguinem nostrum, qui effusus est (Apoc. 6.).* Si enim (inquit sanctus Augustinus in Psalm. 71.) *malum pro malo non est cuiquam reddendum, non solum factum malum pro facto malo, sed nec votum malum reddendum est pro facto vel voto malo. Reddit autem votum malum, qui etiamsi non seipsum vindicat, tamen ut ejus inimicum Deus puniat, expectat atque optat. Quapropter cum & homo justus & homo malus de inimicis suis velint a Deo vindicari, unde discernentur, nisi quia justus & magis cupit inimicum suum corripere, quam puniri, & cum in eum videt a Domino vindicari, non ejus delectatur poena, quia eum non odit, sed divina justitia, quia Deum diligit. Denique si hoc saeculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam letatur si corrigitur, vel certe pro aliis ut eum timeant imitari, ipse quoque fit melior, non supplicio*

plicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando; ac per hoc de benevolentia est, non de malitia, quod lætetur iustus cum videt vindictam, manus suas lavat, id est opera sua mundiora facit in sanguine, hoc est in exitio peccatoris, mens inde non mali alieni gaudium, sed divina admonitionis exemptum.

Denique peccatorum remissio cum venia inimicis tributa conjuncta est; sic enim in Orat. dominica precamur: *Dimitte nobis debita vestra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Urque omnem dubitandi locum Dei filius occupat, subdit apud sanctum Matthæum: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra (cap. 6.)* & apud sanctum Marcum: *Cum stabitis orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra (cap. 11.)*. Quamobrem ait sanctus Cyprianus: *Adjunxit plane & addidit legem, certa nos conditione & sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus, scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus (de Orat. Domin.)*. Illumque sequens sanctus Augustinus inquit: *Si in petitione mentimur, totius orationis nullus fructus.*

Hinc sustineri nallatenus potest Casuistarum aliquot recentiorum sententia, qui docent licitum esse mortem illi optare a quo grave aliquod malum

*Inimicorum dilectio obligatoria est* &c. 375

malum timemus, dummodo non ex odio id optemus, sed solum ut malum imminens caveamus; deque alicujus morte licitum esse gaudere propter bonum, quod nobis inde provenit (a). Illa siquidem ad proximi odium viam sternit, & a proximi dilectione longe abest, quæ nobis tam aperte in Evangelio præcipitur, & quæ christiani hominis proprius est character. Si enim propter temporale aliquod damnum inimici mortem optare liceat, nonne hominibus occasio datur, ut clam odia sua foveant, iramque suam desideriis hisce expleant? Si apparens quælibet ratio ad hoc sufficiat, nonne aliqua semper aderit? Nonne facile sibi quisque persuadeat, se non illum odisse, cujus mortem optat, vel quem obisse lætatur; sed lætari unice ob damnum a se remotum, vel ob acceptum emolumentum? Vehementer hoc a caritate distat, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quod aliis proficit.

**SECTIO**

(a) Horum opinionem ceu erroneam Innocentius XI. declaravit, cum hanc *num. 13.* propositionem damnavit: *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Huic consonat alia numero 14. ab eodem zelosissimo Pontifice prohibita: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris; non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

## SECTIO III.

DE

FRATERNA CORRECTIONE TAMQUAM  
UNO DILECTIONIS ACTU.

## CAPUT I.

*Fraternam correctionem caritas jubet.*

**B**onæ educationis defectu, seductorum suavitatis, aut vitiosa consuetudine homo sepe adeo stupidus ac cæcus redditur, ut honestum inter ac inhonestum distinguere amplius nequeat, & grave, quod animæ imminet, periculum jam non advertat. Cæci hujus periclitantis ut alii magis oculati misereantur, eumque a præcipitio retrahant caritas jubet. Fraterna id correctione efficitur, quæ competens monitio est, ex caritate facta, ut proximum a peccato seu spirituali ruina vel præservemus, vel revocemus. Correctio fraterna a *judiciali* & *paterna* multum differit; quia hæc ad bonum familiæ, illa ad bonum communitatis ordinatur; utraque cum quadam auctoritate, ac pænæ comminatione, inflictione &c. peragitur, cum econtra correctio fraterna suavi, ac occulto modo a quolibet fieri queat, soliusque correcti spirituale emolumentum pro scopo habeat.

Non libera, sed obligatoria multoties fraterna correptio est. *Si peccaverit* (inquit Christus

Matth. 18.) in te (i. e. scandalose egerit coram te) frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Et divus Paulus ait: *Et si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruiti in spiritu lenitatis (Gal. 6.).* Et Ecclesiasticus: *Corripe proximum, . . . ne forte tizeret (cap. 19.).* Christi verba de solis peccatis in proximum commissis nonnulli intellexerunt; alii textus alii generice de quovis delicto per correctionem impediendo loquuntur; sicque semper sancti Patres intellexerunt, eosque, qui proximum corrigere neglexerunt, peccati, ac pariter cum altero peccante malitiæ arguerunt. *Si neglexeris corripere (ait sanctus Augustinus Sermon. 16. de Verb. Dom.) pejor eo factus es, qui peccavit.*

Proximum sicut nosmet ipsos diligere obligamur, adeoque sicut a nobis, ita & ab illo omne, quod possumus, malum avertere; peccato autem pejus, ac damnosius nihil est; ne proin proximus peccet, quantum in nobis est, impedire debemus. Ut proximo in magna necessitate constituto subveniamus, caritas præcipit, qui autem ex ignorantia vincibili, aut alio malo habitu peccant, in magna animæ necessitate, ac spiritali periculo versantur: unde quonobilior corpore spiritus est, eo gravior subveniendi obligatio erit. Aptior præ reliquis, & sæpe unicus subveniendi modus, occulta in correctione consistit: hæc igitur sæpe de præcepto est.

Ista proximum corrigendi obligatio omnes præprimis autem Patresfamilias, Parochos, religiosarum communitatum Superiores, aliosque Prælatos concernit; ita ut si eam negligant non solum caritatem, sed & justitiam lædant omniumque peccatorum, quæ ex eorum conventia a subditis committuntur, reos se faciunt prout jam supra (pag. 292.) innuimus. Porro peccatum, fraterna correctione impediendum, non semper in se grave esse debet. Excessus quippe venialis in consuetudinem excrescens non raro magis quam unum vel alterum peccatum mortale ecclesiasticæ, vel regulari disciplina nocet, graviumque peccatorum ovula relinquit, unde & gravem correctionis fraternæ obligationem inducit. Quodsi peccatum veniale his sequelis careat, solique delinquenti noceat, tunc huc illi, qui commode possunt, sub levi peccato ad correctionem tenentur; quia malum enim leve ut a proximo non minus, ac a nobis removeamus, caritas præcipit.

Nonnumquam etiam subditus Superiori seu Prælato, qui alia via reduci non potest, fraterne corrigere tenetur. *Correctio fraterna* (ait sanctus Thomas 2, 2. quæst. 33. art. 4. corp.) *quæ est actus caritatis, pertinet ad unumquemque respectu cujuslibet personæ, ad quam caritatem debet habere. Sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantiis, idcirco in correctione, quæ subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, ut scilicet non cum protervia, & duritia, sed cum mansuetudine*

Et reverentia corrigantur. Unde Apostolus dicit: Seniore[m] ne increpaveris; sed obsecra ut patrem (1. Tim. 5.). Correctio hæc tum vel maxime locum habet, si Prælati delictum publicum scandalum, aut grave sive in spiritualibus, sive temporalibus damnum communitati creet.

CAPUT II.

Fraternæ Correctionis, Conditiones, & Modus.

Ut fraternæ Correctionis præceptum sub gravi obliget, 1. peccatum proximi grave esse debet, & certum, vel saltem periculum morale peccati gravis; alias proximus temere correptus in suspiciosum correctorem insurget, suamque innocentiam dicitur &c. tuebitur, sicque malum eventum correctio habebit (a). 2. Adesse debet occasio & periculum relapsus; quia alias inutilis correctio foret, cum unice propter spirituales proximi necessitatem sit præcepta. 3. Probabilis emendationis spes affulgere debet; si enim proximum tua correptione non in melius, sed in deterius potius inclinandum prævideas, ut a corrigendo abstineas prudentia dicat. Unde & sapiens monet: *Noli arguere derisorem* (Prov.

(a) Inferior, vel æqualis, qui de peccato proximi dubitat, inquirere non tenetur, sed potius meliora de proximo præsumere. In majorem tamen certitudinem Pater, Dominus, Superior &c. indagare debent; quia hi non solum peccatum, sed & fundatam peccati suspicionem a suis filiis, subditis &c. amovere vi officii obligantur.

(*Prov. 9.*). Quodsi tamen proximi peccatum magnum scandalum, famæ alienæ, aut divitiarum honoris detrimentum caufaret, prout in blasphemis, hæreticis assertionibus &c. fieri solet, correptione refutare errorem debes, ut si non delinquenti, saltem aliis, qui adfunt, punitæ prois (a). Tandem in defectu alterius magis apti facienda correctio est. Si enim alius, qui melius corrigere possit, & velit, delictum proximi sciat, solumque opportunum correctionis tempus expectet, jam tua non necessaria correptione erit; adeoque absque piaculo omittenda.

(a) Si de fructu dubites, & simul certo scias correctionem tuam obfuturam non esse, tenebis corrigere; quia sicut in morbo corporali, ita in spirituali remedium, quod non est obfuturum, adhiberi debet in dubio, an sit profuturum, si nullum certius adfit; tum quia adest certa materia correctionis; tum quia fieri potest, ut obtineatur ejus finis. Si vero dubites non profuturum esse correctionem; sed etiam num sit profuturum, eam omittere debes; quia cum correctio ad emendationem ordinetur, fieri non debet, cum æque imminet peccatum proximi, ac ejus emendatio. Excipe, nisi aliqui moriturus esset in mortali; tunc etiam in dubio de peccato mortali ipse admonendus esset, ne proximus damnetur in æternum. Ita P. Antoine *Tr. de Virt. Theol. cap. 5.* Ubi & ex S. Augustino probatur, fraternam correptionem nec propter tristitiam aliquam, aut aliam levem culpam proximi, nec propter leve incommodum corripientis omittendam esse.

Modus, quo fraterna correptio fiat, opere-  
sore discussione non eget; clarissimis quippe  
in bl verbis eundem ipse Salvator tradidit, cum di-  
eri sole in: *Corripe eum inter te, & ipsum solum, . . .*  
ut si non audierit, adhibe tecum adhuc unum  
puffill vel duos . . . Quodsi non audierit te, dic Ec-  
clijæ (Matth.)

Primo igitur remotis arbitris, *occulta*, ac  
quantum fieri potest, mansueta correptio sit,  
recedat. Hæc enim suam originem a caritate  
eccessant habet; caritas autem benigna est, proximi con-  
lo omi fusionem refugit, famæ parcat, alienos nævos  
Modus pallo tegit. Si tamen delictum manifestum sit,  
cias cor aliisque notum, aperta quandoque correctione  
tenens eidem mederi licet; quia tunc assignata prius  
ita d ratio cessat (a).

Secundo: Si frater semel aut iterum oc-  
ita d culte correptus, nec tamen emendatus sit, coram  
urum uno aut altero de vitæ emendatione monendus  
um, erit. Sic enim nædum tua vivacior monitio  
ta mæ efficeretur, sed illorum insuper adhortatio in ob-  
ut ob firmatam delinquentis mentem arietando, faci-  
n mod lus ejusdem pertinaciam expugnabit. Felicior  
fit no hæc operatio accidet, si hi, correctionis testes,  
correctio debet, fratri peccanti veteri amicitia sint juncti, mul-  
ac ejus tumque in illius animum possint.

Ter-

(a) Præ reliquis *parabolica*, & *indirecta* correctio  
prodest. Veluti alter Nathanaë morbido coram  
Vir proximo delictum illius, quasi in alio notatum  
robab. recensere; in ejus turpitudinem &c. invehere; &  
stifitiam citius forsitan, quam David blande se contactum  
i, nec sentiet, in se reversus resipiscet.

Tertio: Si nec prior, nec posterior correctionis modus aberrantem reducere fratrem potuit, denunciandus hic est apud Superiorem ut fraternæ correptioni paterna, aut omnimoda judicialis succedat; & qui caritati lubens concessit, pœnis adactus vel nolens potestati obtemperet. Maxima hic cautela opus, ne sub caritatis velo odium, aut mentis amarulentia se condat, fratremque non tam ut emendet, quam ut confundat, ad Superiorem deferat.

Hic fratrem corripiendi modus licet Evangelio, ipsique naturali legi conformis sit, tamen nonnumquam exceptiones patitur, utque hinc inde statim denunciatio fiat, sana ratio suadet. 1. Si peccatum proximi publicum sit, & scandalum pariat, vel si nondum in publicum devenit, sed est in via deveniendi, tunc etiam denunciandum est, ut scandalo futuro occurratur. (Sanctus Thomas in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 3. ad 2.). 2. Si peccatum occultum quidem sit, sed toti communitati, provinciæ vel regno nocivum. Quædam peccata (ait sanctus Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 7.) occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale; puta si aliquis occulte trahat quomodocumque civitas tradatur hostibus; vel si hæreticus privetim homines a fide avertat: Et quia ille, qui occulte peccat non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur: ne forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem possit hujusmodi mala impediri.

3. Denunciationem etiam tunc, cum correctio fraterna inutilis prævidetur, fieri posse multi tenent; neque Doctor Angelicus dissentit, dummodo hæc denunciatio coram Prælato qua patre, & singulari persona, non vero qua iudice fiat (2. 2. quæst. 33. art. 8. ad 4.).

Cum corripientis peccatum correctioni delinquentis non parvum impedimentum opponat, quicumque alium sive paterne sive fraterne corripere gestit, ante omnia se ipsum emendet, est necessarium. Non enim (inquit Isidorus lib. de sum. bono.) debet vitia aliorum corrigere, qui est vitii subiectus. Et Augustinus: Accusare vitia officium est bonorum virorum, & benevolentium: quod cum mali faciunt alienas partes agunt (lib. de Sermon. Dom. in mont.). Cogitemus (subdit ille) cum aliquem reprehendere nos necessitas cogit, utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus; & tunc cogitemus nos homines esse, & habere potuisse; vel tale quod aliquando habuimus, & jam non habemus: & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium sed misericordia præcedat. Si autem invenerimus nos in eodem vitio esse, non objurgemus, sed congemiscamus, & ad æqualiter conandum invitemus. Pro instructione nostra illustrius adduci posset nihil.



SECTIO

## SECTIO IV.

DE  
ELEMOSYNA.

## CAPUT I.

*Eleemosynæ notio & necessitas.*

**E**leemosyna est opus, quo datur aliquid in-  
genti ex compassione propter Deum. Com-  
passionis affectus ex eo provenit, quod aliquis  
defectum alterius propter unionem amoris vel  
suum reputet, prout sanctus Thomas (2. 2.  
quæst. 30. art. 2.) advenit, qui proin (quæst.  
32. art. 1.) eleemosynæ actum immediate  
misericordia, mediate vero a caritate procedere  
pulchra deductione probat, eosque, qui absque  
hoc misericordiæ & caritatis motivo eleemo-  
synas largiuntur, actum quidem virtutis, sed non  
virtuose ponere clare ostendit.

Eleemosynarum largitio res non meri consilii  
est, sed in publica, ac gravi pauperum neces-  
sitate stricte præcipitur; *gravi*, inquam, neces-  
sitate, nec solum extrema; eleemosynæ siquidem  
præceptum destruit, qui illud cum recentioribus  
nonnullis Casuistis ad extremam necessitatem  
quæ perrara est, coarctat.

Non sic sacræ litteræ loquuntur, dum ait  
valde ponderanda Ecclesiasticus utitur, *Eleemo-*

Phra-  
dum ait  
Eleemo-

Eleemosynam pauperis ne defraudes (cap. 4.).  
 Aliquem defraudare est alteri, quod suum est,  
 auferre; pauperis igitur illud est, quod ei in  
 eleemosynam tribuitur. Negabit nemo illum  
 peccare, qui fratri suo fideli id neget, quod  
 suum est. Ubi Vulgata *eleemosynam* legit,  
 Græcus textus *vitam* habet; & Biblia regia ita  
 vertunt: *Vitam pauperis ne defraudes*; Syriacus  
 vero: *Vitam pauperis ne despicias*. Proximum  
 suum non occidere ad consiliumne, an vero  
 ad præceptum spectat? Nonne vita illi eripi-  
 tur, dum esurienti cibus negatur. Sanctorum  
 Patrum hoc est axioma: *Si non pavisti, occidi-  
 sti*. Eiusdem capituli versu octavo Spiritus san-  
 ctus hoc præceptum disertius sic explicat: *De-  
 clina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde  
 debitum*. Non est igitur eleemosyna simplex in  
 pauperem liberalitas, sed debiti solutio. Con-  
 silium opus est, debita solvere; an vero actus  
 est iustitiæ, qui sine peccato omitti nequit?

Tributum est eleemosyna, quod a divitibus  
 pro traditis bonis Deus exigit. Quod si terre-  
 nus Princeps super feudo, quod subdito tradit,  
 in traditi beneficii jugem memoriam pensionem  
 potest exigere; Deus, qui mundi divitiarum  
 supremus est Dominus, nonne ab iis, quibus  
 illas elargitur, eleemosynæ præceptum tradere  
 poterit, veluti sigillum, quo divitias a Deo  
 nobis esse traditas innotescat? Sanctus Joannes,  
 qui e Christi pectore hausit caritatis doctrinam,  
 quam etiam eximie explicat, magna hæc verba, in  
 fidelium omnium cordibus alte imprimenda pro-  
 fert:

fert: Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo (1. Joan. 3.)? Quomodo igitur opus illud, cujus omissio caritate, id est Dei gratia nos privat, consilii tantum opus erit? Cum homines judicabit Christus, nonne peccatores ad ignem æternum damnabit, quia quæ facere debuerant, omiserunt. Quid vero illi exprobrabit? *Esurivi, inquit, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum: nudus eram, & non cooperuistis me* (Matth. 25.). Tenebantur igitur illum vestire, & pascere, illique potum præbere. Hinc absona, omnino censenda est hæc novi Testamenti opinio, nempe fidelium paucos videri damnandos propter corporalis misericordiæ operum omissionem. Evangelium contra ait propter horum operum omissionem homines esse damnandos. Nec minus absonum est, quod idem Auctor subdit, ut Evangelii verba explicet. Ideo, ait, in extremo judicio Dominum de misericordiæ operibus præ cæteris verba facturum, ut homines, rudes præcipue, qui spiritualia minime capiunt, ad misericordiæ opera in hac vita exercenda excitaret: cui quidem rationi in extremo judicio locus non erit, cum amplius misericordiæ tempus non suppetet. Annon hæc pacto verborum Christi veritas destruitur, omnisque Evangelio vis eripitur, dum quod de eleemosyna tam diserte ac perspicue loquitur, tam inepte interpretamur?

Dives

Dives, quem Evangelium reprobat, non adulter, neque usurarius, nec blasphemus, nec tutor, nec invidus, nec maledicus, aut alterius huiusmodi peccati reus appellatur; hoc autem solum de eo narratur: *Homo quidem erat dives, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat (Luc. 16.)*. De huiusce divitis damnatione ait sanctus Augustinus non esse causas anxie quærendas; illam nobis satis esse, quam Evangelium adfert, nempe divitis in mendicum crudelitatem. Si mendico huic, qui ante ejus januam eleemosynam postulabat, opitulari ex præcepto non tenebatur; nam in infernum sepultus fuisset, quia consilio neglexit obtemperare?

Verum Dei Filius difficultatem omnem amputat, cum eleemosynam justitiam nuncupat. *Attendite (inquit Matth. 6.), ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Si eleemosyna justitia est, ad præceptum ergo pertinet, non ad solum consilium.

Hoc sensu sancti Patres loquuntur. „ *Potestisne, inquit sanctus Basilius, o divites, qui nihil pauperibus largimini, sic loqui: Cui facio injuriam, si quod meum est servo? Peto, quæ sint, quæ vos vestra appellatis? A quo accepistis, unde attulistis, ut iis in hac vita frueremini? Hominem imitramini, qui amphitheatrum ingressus, aliorum sedes occupans, omnes ab ingressu arcet, solus spe-*  
B b 2 „ Etacu-

„ Etaculo frui volens, quod cunctis paratum  
 „ est. Si quilibet sibi ad vitam necessaria sume-  
 „ ret, & pauperibus superflua tribueret, dives  
 „ nemo esset, nemo pauper. Quis, ambo  
 „ vos, fur est appellandus? Ille profecto, qui  
 „ quod pluribus commune est, sibi soli sumit.  
 „ Nonne igitur fur es, qui tibi uni ea servas  
 „ quæ pluribus communicanda & distribuenda  
 „ accepisti? Si furem vocas, qui vestem suam  
 „ ripit, alio nomine illum vocabis, qui ha-  
 „ minem vestire cum possit, nudum deserit.  
 „ Panis, quem habes, nec familiæ tuæ est ne-  
 „ cessarius, esurientium est pauperum.

*Delinquis* (ait S. Cyprianus de Discipulis  
*hab. Virg.*) *Et hoc ipso in Deum, si ad hoc  
 ab illo divitias datas credis, ut illis non salubri-  
 ter perfruaris. Nam Et vocem Deus homini do-  
 dit, Et tamen non sunt idcirco amatoria canentia  
 nec turpia, Et ferrum esse ad culturam terra  
 Deus voluit, nec homicidia sunt idcirco facienda  
 aut quia thura, Et merum, Et ignem Deus in-  
 stituit, sacrificandum est inde idolis? Vel quia  
 abundant pecudum greges in agris tuis, victimas  
 Et hostias immolare debebis? Alioqui tentatum  
 est patrimonium grande, nisi ad usus bonos sensu  
 operetur, ut patrimonio suo unus quisque locu-  
 plerior magis redimere debeat, quam augere de-  
 lecta.*

„ Putasne, (inquit sanctus Gregorius Na-  
 „ zianzenus *Orat. 6.*) eleemosynam consili-  
 „ non præcipi? Id utique optarem, & recu-  
 „ credere paratus essem; sed me terret hircus  
 „ rui

rum ad sinistram expulsio, & quam illis faciet  
Christus, exprobratio, non quod furta, sacri-  
legia, adulteria, aliave similia crimina com-  
miserint, verum quod illi in paupere opem  
non tulerint.

„Deus, inquit sanctus Joannes Chryso-  
stomus, omnia legis præcepta illo complexus  
est, quo proximum sicut seipsum diligere iussit.  
Hinc quamvis nonnulli dicant, non furamur,  
non fornicamur, nec adulteria facimus; se-  
proximum sicut oportet amare affirmare ne-  
quibunt, idest sicut seipsos. Non enim ille  
proximum amat, qui indigenti non subvenit.  
Propterea longe errabat adolescens ille in  
Evangelio, qui se omnia Dei præcepta servas-  
se jactabat, nam cum dives esset, nec paupe-  
ribus consuleret, non poterat caritatis imple-  
re præceptum, quod cuncta complectitur.

Sanctus Hieronymus ad *Helvid.* scribens  
ait: *Si plus habes, quam tibi ad victum vesti-  
tumque necessarium est, illud eroga, & in illo  
debitricem esse te noveris.*

Sanctus Ambrosius in Sermone quodam Fi-  
deles sic alloquitur: „Panis, quem servas,  
esurientium est: vestis, quam retines, ad  
nudum spectat: pecunia, quam in arca clau-  
dis, captivorum est redemptio. Noverit di-  
ves se ea rapere, quæ renuit erogare.

Sanctus Augustinus ait: „Quisquis pascen-  
do hominem servare poterat, si non pavisti,  
„ occi-

» occidisti. Cave igitur, avare Fidelis, ne in  
 » scrinio tuo claudas, vel sepelias vitam pa-  
 » perum.

## CAPUT II.

*Avarorum præcluduntur effugia.*

**D**icet fortasse aliquis, ut allatarum auctoritatum vim infringat, oratorie sanctos Patres esse locutos, & exaggeratione usos: verum Scholastici ipsi, qui præcise & dogmatice loquuntur, eodem modo loquuntur. Unius sancti Thomæ auctoritatem hic lubet afferre, qui, cum Scholasticorum Princeps, recentioribus Casuistis præferri debet, qui crudelibus absonisque restrictionibus eleemosynam a Christianorum cætu videntur eliminare. Quæstionem proponit: *Utrum dare eleemosynam sit in præcepto?* Affirmative responder, utiturque hac ratione: *Nullus punitur pœna æterna pro omissione alicujus, quod non cadit sub præcepto; sed aliqui puniuntur pœna pro omissione eleemosynarum, ut patet (Matth. 25.): ergo dare eleemosynam est de præcepto.* In corpore autem articuli sic ratiocinatur: *Cum dilectio proximi sit in præcepto, necesse est omnia illi cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundum illud 1. Joan. 3: Non diligamus verbo, neque lingua sed opere, & veritate. Ad hoc autem quod velimus, & operemur bonum alicujus, requiritur quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem: & ideo eleemo-*

*synarum largitio est in præcepto. En tibi aliam  
eiusdem Doctoris rationem: Quia præcepta dan-  
tur de actibus virtutum, necesse est quod hoc mo-  
do donum elemosynæ cadat sub præcepto, se-  
cundum quod actus est de necessitate virtutis:  
scilicet secundum quod recta ratio requirit, se-  
cundum quam ex parte dantis conside-  
randum est, ut id, quod est in elemosynas ero-  
gandum, sit ei superfluum; secundum illud Luc.  
11: Quod superest date elemosynam (2. 2.  
quest. 32. art. 5.).*

Difficultas in eo sita est, ut definiatur hoc  
superfluum. Si Casuistis nonnullis fidem adhi-  
bemus, nemo superfluum quid habet, neque  
Reges ipsi; nemo proinde elemosynam tenetur  
erogare. At caritati, quam invicem Christiani  
exercere debent, Evangelii spiritui, & Ecclesiæ  
traditioni ita adversatur hæc doctrina, ut primo  
inuitu sit refutanda (a). Quod in necessitates,  
aut legitimos usus servatur, potest non super-  
fluum censer, si mediocre sit; verum non est  
hoc ad ambitionem trahendum, qua sæculares  
dignitates, honoresque quæruntur: hac siqui-  
dem de causa pecuniam suam servare, & ab elee-  
mosyna eroganda abstinere, aperte Evangelio  
adversatur, & ex amore oritur, quo mundus  
præ

(a) Anno 1679. ab Innocentio XI. ista damnata  
fuit propositio: *Vix in secularibus, etiam Regi-  
bus, invenies superfluum statui, & ita vix aliquis  
tenetur ad elemosynam, quando tenetur tantum  
ex superfluo statui.* Est inter damnatas 12ma.

præ proximo diligitur, quod impie solum licet  
re affirmatur.

Alia quoque affertur excusatio, nempe necessitas status sui tuendi & dignitatis; sed vix sæpe hæc est excusatio. Hanc luxuriam necessitatem fere in omnibus mundus invexit; sed non est mundus Christianorum iudex, qui (ut ait Christus *Joan. 16.*) cum Principe suo *jam iudicatus est.* Sanctus Apostolus Paulus Christianos omnes ita admonet: *Habentes alimenta, quibus tegamur, his contenti simus (Tim. 6.)* Hunc textum explicans divus Thomas ait, divitias ad necessitatem repellendam tribui, hominemque duobus indigere, cibo ad famem explendam, vestibus ad aeris arcendas injurias. En naturæ limites, quibus & Evangelium præcipit. Non tamen affirmo ita hos limites definiendos, ut conveniens nulla sit inter variorum personarum gradus distinctio. Ridicule faceret quis assereret, eadem Regi ac villico utendum esse veste, mensa, ac comitatu, nec ullo ornatum apparatu, regiam Majestatem. Juxta gradum suum cæteris quoque licet se pariter ornare, aliosque sumptus facere; at dignitas excessum illum minime excusat, quem luxuriam in nostra tempora invexit, cum nulla jam neque dignitatis, neque originis sit distinctio, sed superbia sola & facultas sumptus metitur, quod cunctis Evangelii legibus adversatur. Haud igitur licet eleemosynam omittere, ut leges illas sequamur, quas luxuriam enormis invexit.

Post sacrarum Litterarum, & sanctorum Patrum auctoritatem valida utemur ratione, qua idem probatur. Ab orbis origine bona omnia erant communia: temporum successu eorum facta est divisio, quam injustam appellare & providentiæ ordo, & populorum consensus, & ecclesiasticæ civilesque leges vetant. Verum nonne injusta esset hæc inæqualis divisio, si magis vel saltem æque utilis non esset hominibus, ac communis possessio? Et nonne longe injus-  
tior, si hominibus prorsus noceret. Id autem proculdubio eveniret, si cuncta hisce possidentibus, aliis contra omnium egentibus, egentium inopiæ divites non subvenirent, neque ad id caritatis & misericordiæ præcepto, quod nequeat remitti, non tenerentur. Si enim eleemosyna veluti consilium a libera dumtaxat divitum voluntate penderet, hominum plerique inopia perirent, dum pauci bonis abundarent. „ Si eleemosynam divitibus (ait sanctus Ambrosius *Serm.* 36.) Deus non præcepisset, videretur injustus, aliis bona omnia tribuens, cuncta aliis negans. Sed hæc cessat querela, si divitibus præcipiat, ut pauperum levant inopiam, horumque veluti tutores sint; Deique in hoc sapientia elucet, qui hac distributione divitibus suam patefacit largitatem, & pauperum patientiæ coronam parat. Tu vero, cui tot bona Deus est largitus, sine injustitia eleemosynam pauperi negare putas? Ne te fallas, idem pene est pauperi indigenti ex tua abundantia non tribuere, ac aliena rapere.

## CAPUT III.

*Circumstantiæ, in quibus eleemosynæ obligat, expenduntur.*

Sicut caritatis, ita & eleemosynæ præceptum affirmativum est, in certis solum circumstantiis obligans. Præ reliquis circumstantia personæ dantis & indigentis est pensanda. Qui fortunam largientis, & necessitatem indigentis rite expendit, an quanta eleemosynæ obligatio sit; facile deprehendet.

Fortuna hominis in temporalium bonorum possessione consistit; hæc autem bona in tres classes distinguuntur. In prima sunt *necessaria naturæ*, illa nempe sine quibus possessoris, sueque familiæ vita conservari nequit. In secunda necessaria *status* collocantur, ea videlicet, sine quibus convenienter ad suum statum, ac quantum modo gerit, officii dignitatem vivere non poterit, ita, ut his subductis vel strictiore æconomia vel omnino a suo statu excidere deberet. In tertia *non necessaria* sunt, quæ nempe nec ad vitam, nec ad status conservationem requiruntur, sed omnino superflua sunt. Attamen hic non præsens solummodo rerum status, sed quid in super postea evenire possit, est attendendum. Exempli gratia si vir est uxoratus, nec liberum habeat, speret tamen, potest pecunia, quam possidet, non superflua existimari, quamvis modo ad sui status decentiam non sit necessaria. Hoc pariter anno pleraque superflua videri possunt, quæ

quæ anno proximo ob probabiliter imminentem penuriam erunt necessaria. Dico *probabiliter*; quia fingenda non sunt pericula sine causa; sed ea præcavenda, quæ prudenter timemus: humanae vero prudentiæ Christiana caritas est præferenda.

Tria quoque in paupere necessitatum genera sunt distinguenda. *Extrema* eum premit, qui, nisi ei succurras, de vita periclitatur. *Gravis* illum affligit, qui non obtento auxilio honoris, status jacturam incurrere, vel aliud quidquam amittere deberet, quo vita residua nimis gravis, et amara redditur. *Communis* necessitas eos tenet, qui multis quidem vitæ commodis carent; quin tamen spectata eorum conditione adeo gravis eorum vita reddatur, quia cum ostiatim mendicent, quod ab uno negatur, ab alio accipiunt, sicque semper vitæ necessaria habent.

Non tenemur ex iis eleemosynam erogare, quæ ad familiam alendam omnino sunt necessaria, ut docet divus Thomas (2. 2. quæst. 32. art. 6.); qui tamen addit: *Sed hoc dico, nisi forte talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Republica sustentaretur; quia pro talis personæ liberatione se ipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum.*

In *extrema* necessitate versanti eleemosynam debemus ex iis bonis, quæ naturæ superflua, status vero decentiæ necessaria sunt. Status enim decentia minus quam vita proximi valet; unde  
ut

ut hæc cum aliquali status diminutione redimatur, caritatis ordo exigit, sacra scriptura, Patres monent, in hocque omnes consentiunt.

Proximo in *gravi* necessitate constituto eiis, quæ vitæ & statui superflua sunt, subveniendum tenemur. Id enim clare ex adductis textibus eruitur, præprimis ex illo: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo* (1. *Joan. 3.*)? Imo quo gravior pauperum necessitas fuerit, eo majorem in divitibus obligationem fundabit, ita quidem, ut si omnino statui superflua non suppetant, etiam illa, quæ status competentiae serviunt, minui pauperumque fami pellendæ, nuditati regendæ &c. impendi debeant. Notent hoc sibi divites, qui in communi annonæ defectu ad pauperum clamorem surdescent, qui æquales inter delicias, sensuumque illecebras pene diffluunt, dum pauperes fratres inedia confecti vix pedibus consistere queunt; notent, inquam, & timeant, quid irato Judici ad illud: *Esurivi, & non deditur mihi manducare* &c. aliquando sint responsuri videant.

In *communi* necessitate ex superfluis itidem eleemosynas facere obligamur; quia etiam hoc textus non minus, quam rationes, quas supra (cap. 1. & 2.) protulimus trahi possunt, etiamque Theologi magis cordati ita intelligunt? Hæc tamen communem inter & gravem necessitatem inintercedere differentia videtur; quod eleemosyna in *gravi* necessitate certum tempus, cer-

tasque personas juxta caritatis ordinem respiciat, cum econtra eleemosyna in communi necessitate sive huic sive alteri; hoc die, mense &c. vel alio distribui possit. Gravis nihilominus peccati rei illi divites fiunt, qui frequentius mendicos repellunt, increpant, aut omnibus omnino eleemosynas denegant. Hi, si Dei depositarios se recogitarent, longe aliter commissas sibi divitias applicarent.

lis, quæ de divitum obligatione pauperibus in necessitate gravi subveniendi hæcenus diximus, opponi posset, sufficere, ut illis mutuo necessaria dentur; quia etiam hoc pacto illis subvenitur. Ita quidem nonnulli Doctores sentiunt, & Josephi exemplum afferunt, qui tempore famis in Ægypto non donavit; sed frumenta populo vendidit, agrosque omnes Regi comparavit. Alii docent, teneri divites erogare, nec satis esse, si mutuum tribuant. Mediana distinguit, docetque superflua eroganda esse, quod si superflua desint, reliqua mutuo dari posse. Ego quidem arbitror pauperibus esse subveniendum, quocumque tandem id pacto fiat, nec plerumque satis esse, ut illis mutuo tribuatur; liberalis siquidem est christiana caritas, non mercatrix (a).

CAPUT

(a) Sicut viscera impiorum crudelia, ita & corda eorum, qui fratres diligunt, miseratione plena sunt. Misericordia virtus moralis est, quæ hominem ad sublevandam alterius miseriam inclinat. Misericordia, quæ proximi animam tenet, potissimum

## CAPUT IV.

*Genuinae Eleemosynae Conditiones.*

**C**hristiana eleemosyna, ne a virtutis natura degeneret, justa, prompta, hilaris, liberalis, perseverans sit oportet.

*Iusta* eleemosyna erit, si inter divitum bona, & egenorum inopiam apta proportio servetur; si nempe plus Reges, quam alii nobiles; plus divites quam mediocres, plusque Ecclesiastici, quam Laici tribuant. Alia quoque in exigenda eleemosyna servanda justitia est, ut nempe de suo, non de alieno fiat. Multi sunt, quibus debita, vel mercedes non solvunt, Ecclesiasticis & pauperibus donant, quæ creditoribus debent, aut mercenariis rapuerunt. Quam sit execrabilis hæc eleemosyna docet Ecclesiasticus: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi immolat filium in conspectu patris sui* (cap. 34). Quarrum Carthaginense Concilium ita Episcopis præcipit: *Eorum, qui pauperes opprimunt,*

tissimum fraterna correptione; ea quæ corpora rodit, eleemosyna pellitur, aut saltem lenitur. Non minus ad hanc, quam ad illam plura alia misericordiae opera reducuntur: quæ correptioni accedunt, *spiritualia*; quæ eleemosynæ junguntur, *corporalia* dici consueverunt; omnia compendii, ac memoriæ gratia hisce versibus S.

Thomas conclusit:

*Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo,  
Condo.*

*Consule, Castiga, Solare, Remitte, Fer, Ora*

*omni, dona refutanda* (Can. 94.). Pulchre ait sanctus Augustinus: „Non ita iudicem tuum fallere potes, ut in die iudicii pauperum voces, quibus bona rapuisti, non audiat. Si a mortali iudice esses iudicandus, furti tui partem illi posses tribuere, ne te damnaret; at cum Dei filio non sic agere potes. Non talis est Deus, qualem te esse vetat, injustus nempe, & latronum patronus. Eleemosynam te dare putas, ne fureris, & eleemosynam dedisti. Gaudet qui accipit, gemit quem spolias. Utrum arbitraris a Deo exaudiendum? Melius eleemosynam negas, quam aliena rapias.

Hæc Magnates cogitent, qui populis præfunt, & provincias depopulantur; nec putent Deo se posse placere, si altare erigant, vel tabernaculum auro regant, aut quid simile præstent, dum populo rapiunt quæ Deo dedicant. Audacter sic Deum provocant; nam hoc pacto, ut sancti Patres loquuntur, in furti partem illam vocant.

Alterra eleemosynæ conditio est, ut *prompta* sit, juxta Apostoli consilium. Si eleemosyna donum est, qui cito dat, bis dat: si debitum est, sicuti revera est, sollicitè oportet solvere, cum creditor expectare nequeat, quando videlicet pauper fame vehementer premitur. Dilationem venter non patitur, & inducias fames ignorat: horæ unius dilatio interdum pauperem necat.

Promptitudinem *hilaritas* comiterur; nam, ut sanctus Paulus testatur: *Hilarem datorem diligit*

git Deus (2. Cor. 9.). Idemque Apostolus fideles ad erogandam eleemosynam sic exhortatur: *Unusquisque prout destinavit in corde suo non ex tristitia, aut ex necessitate.*

Si alio spiritu ducimur, caritas, inquit sanctus Joannes Chrysostomus, jam non est caritas. Nonne irrationabiliter agis, si dum dolentis solaris, dolorem ipse & tristitiam prodis? Nonne hoc pacto eleemosynæ sensum eripis, quæ nomen ipsum præfert, quod clementiam & misericordiam significat? Dum pauperis miseriam levas, magnam ostendis crudelitatem. Caritas ut sit amor oportet: amor autem omnia sua donans vehementer lætatur, nec se aliquando donasse credit. Apostolus eleemosynam benedictionem vocat, ut hilaritatem, cordisque amplitudinem declaret.

Quarta eleemosynæ conditio est liberalitas juxta Apostolum dicentem: *Qui parce seminat parce & metet: & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet (2. Cor. 9.).* Christus autem dominus fidelibus ait: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est: & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos (Luc. 6.).* „ Si nimis altum tibi videtur exemplum, & oculos sursum tollere recusas, sub pedibus firam terram adverte, ejusque liberalitatem in alendis hominibus intuens erubescere, si insensibilis elementum liberalitatem non imiteris.

Larga igitur debet esse eleemosyna, sive dantis personam spectes, sive accipientis. Larga est eleemosyna, cum omnibus pauperis necessitatibus subvenit, veluti si pauperi centum nummis egenti eosdem tribuas, larga erit eleemosyna. Est & alia liberalitas, quæ non modo necessaria pauperibus tribuit, sed necessitatem excedit. Primo modo danda est eleemosyna, si extrema aut gravis urgeat necessitas, dummodo periculum absit, ne eleemosynam tribuens in eandem aut majorem incidat necessitatem. In communibus necessitatibus, laudanda est liberalis eleemosyna, verum non tam gravis est ejus obligatio. Potest etiam male ultra necessitatem pauperibus tribui: bene agitur, si bona adsit intentio, idest si detur, ut pauper ejusque familia habeant, unde vivant: male agitur, si constet pauperem hoc superfluo, quod illi datur, non indigere; aut si ex vanitate datur, ut videlicet liberalitatis fama quæretur; aut si superfluum huic dando, alteri necessarium negetur; aut cum eleemosyna in prodigalitem vergit.

Juxta personarum varietatem eleemosynæ proportio est servanda. Plus dives, quam pauper, Reges ac Principes magis, quam subditi; & Ecclesiastici magis, quam laici dare debent. Sciant vero Beneficiati se bonorum ecclesiasticorum esse dispensatores, quæ sancti Patres peccatorum remedium, & patrimonium pauperum vocant.

Quinta eleemosynæ conditio est, ut sit perseverans. *Semper pauperes habetis vobiscum*  
Godeau Theol. Mor. Pars I. C c (ait

(ait Christus *Matth. 26.*): illis igitur oportet  
semper opitulari. Fatuæ virgines, quarum in  
evangelica parabola fit mentio (*Matth. 25.*)  
oleum quidem in lampadibus habebant, sed non  
quantum satis. Propterea ait sanctus Augusti-  
nus: „ Scripturæ audi verba, ne te eleemo-  
syna & fides deserant. Non ait, Fac eleemo-  
synam semel, ter, aut centum vicibus; sed  
semper: neque ait, Ne eleemosynam des-  
eras; sed ne illa te deserat “. Hinc nos docet  
Scriptura, utile nobis magis esse eleemo-  
synam dare, quam accipere; illamque constantem  
esse exercendam propter bona, quæ inde nobis  
proficiscuntur.

## CAPUT V.

*Eleemosyna nec a quolibet, nec cuilibet  
est eroganda.*

**N**on omnes passim eleemosynam erogare  
sunt. Exempli gratia subditus, viro  
etæ mulieres, filii familias, famuli eleemosynam  
largiri nequeunt, ex bonis suorum superiorum  
conjugum, parentum, dominorum, si quatuor  
sequentes casus excipias.

Primo, cum pauperis necessitas est extrema  
tunc enim ex bonis Superioris, vel ipso invito  
eleemosynam erogare potest inferior: communi  
nis hæc est Doctorum sententia. Secundo  
quando pauperis necessitas est gravissima: at-  
tamen si fieri potest, a superiore impetranda est  
facultas, ut docet Abbas in cap. *Si quis*,  
Furti

*Furtis.* Tertio, cum superior inferiori permittit, ut eleemosynam largiatur. Quarto, cum scit inferior superiori gratum futurum, si eleemosynam ipse erogat.

Insuper possunt Religiosi eleemosynam largiri ex pecunia, quæ ipsis pro viatico traditur, aut ex eleemosynis, quas ipsi accipiunt; vel cum sciunt superiori suo gratum fore, si eleemosynam largiantur, quam largiri permetteret, si adesset.

Uxores quoque eleemosynam largiri possunt, 1. Cum sciunt id gratum fore maritis, licet expressam eleemosynæ largiendæ non dederint potestatem. 2. Cum mentis inopes sunt mariti, uxoresque familiam moderantur. 3. Cum mariti longe absunt. 4. Cum ipsis concessa est bonorum administratio. 5. Si viri nimis sint avari, nec ullam largiantur eleemosynam. 6. Cum pecuniæ aliquid pro libitu expendendum, habent, ipsæque se a licita aliqua voluptate retrahunt, ut eleemosynam egeno tribuant. 7. Cum præter dotem adventitia bona habent. 8. Cum industria sua pecuniæ summam lucrantur. 9. Cum munus aliquod accipiunt. 10. Si parva sit eleemosyna, nec maritis incommoda. Verum præstat circa quintum & octavum casum prudentem Confessarium consulere, antequam generalis lex deleatur, quæ sine virorum consensu communia bona distribuere uxoribus vetat.

Filii quoque familias eleemosynam aliquando erogare possunt. 1. Ex bonis, quæ ipsi acquisierunt, quæ castrensia bona vocantur. 2. De

pecunia, quam pro viatico a patribus suis accipiunt. 3. Si extra paternam domum degant, & in aliqua Universitate studiorum causa morentur; vel si negotiorum causa in urbe aliqua vivunt, & ex pecunia pro victu accepta aliquid seponunt, ut eleemosynam largiantur. 4. Si publicum aliquod munus habent, ex quo lucrum aliquid capiant. 5. Si parvas eleemosynas largiantur. 6. Cum sciunt gratum parentibus fore, si egenis subveniant.

Famuli ex dominorum suorum bonis eleemosynam largiri nequeunt, præter extremam, aut gravissimam necessitatis casum, vel si periculas rarasque dent eleemosynas.

Egenis tribuenda est eleemosyna; est enim hæc misericordiam actus, qui proximi miseriam respicit: omnibus propterea est tribuenda sive bonis, sive malis, fidelibus, & infidelibus, et caritate siquidem proficiscitur, quæ omnes æque complectitur. Sanctus Joannes Alexandrinus Patriarcha, Eleemosynarius dictus, cum ab œconomo suo fuisset admonitus, quod eleemosynam non indigentibus tribueret, respondit: „ Neque Christus, neque famulus ejus Joannes „ tam prudentibus ministris eget.

Attamen quamvis caritas non adeo exacte inter egenos distinguat, nec pauperum, quibus subvenit, qualitates exquisite nimis perpendat, nonnulla nihilominus sunt observanda. Primo, an pauper labore suo victum sibi comparare queat. Si desidiosus eleemosynam petat, non ei tenemur opitulari; neque illi danda est eleemosyna.

mosyna, nisi esset persona nobilis, quæ sine nobilitatis suæ injuria nec artem aliquam exercere, nec aliis famulari posset.


Secundo, si ad peccatum aliquod patrandum eleemosynam pauper peteret, non esset ei tribuenda; quemadmodum sanctus Augustinus diferte docet inquires: *Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, si injustitiæ seclusus acquiescat.*

Tertio, si paupertas, quam egenus patitur, pena sit a judice inflicta, veluti si ad fame perendum damnaretur, nulla huic largiendæ eleemosynæ adesset obligatio: si tamen aliquis hanc illi largiri vellet, id ei liceret, dummodo non esset minister justitiæ; hic enim judicis sententiam exequi debet.

Demum, si Princeps urbem juste obsideat, hancque fame expugnare vellet, peccaret qui in illam cibum inferret; si vero injuste obsideretur, obsessis subvenire liceret. Qui ab alio largiendas eleemosynas accepit, potest, si pauper sit, harum partem sibi sumere veluti pauper; caveat tamen ne sibi nimium blandiatur, neque sibi cum egenorum injuriæ nimium sumat.

His demum generalibus axiomatibus hanc de eleemosyna tractationem, quæ reliquis Moralis Christianæ fere præstat, concludo: Caritas, ex qua eleemosyna oritur, communes humanæ justitiæ regulas excedit: Non in subtili legum hæret

hæret distinctione. Ipsa est Christianorum lex, quæ universam Legem continet & Prophetas. Ejus canones arctius obligant, quam passim creditur: ejus excessus sunt laudandi: ultra ejus limites progredi utique præstat, quam intra morari. Atque ut innotescat, quomodo Christi pauperes sint juvandi, Christi personam in paupere considera, in hoc enim Christus particulari quodam modo habitat, qui Christi in Eucharistia præsentiam imitari quodammodo videtur: cogita etiam Dei beneficia in nos plerumque per pauperes derivari, cœlique claves eorum manibus esse commissas.



## SECTIO V.

DE

VITIIS DILECTIONI OPPOSITIS

CAPUT I.

*Odium a Deo & hominibus separat.*

**O**dium qualiscumque mentis aversio est; unde objectum, quod aversamur, odisse dicimur. In odium inimicitiae, & abominationis dividi solet. Odium *abominationis* est, quo aversamur aliquod objectum prout in se malum, vel nobis, aliisve nocivum est: Odium *inimicitiae* est quo aversamur aliquem ita, ut velimus malum prout ejus malum est.

Odium

*Odium a Deo & hominibus separat. 407*

Odium abominationis peccatum jam grave, jam leve, jamque nullum; imo nonnumquam actus ex caritate subortus esse potest. Si absque rationabili causa proximum averfaris, juxta averfionis intenfionem, deliberationemque grave vel leve peccatum committis. Si naturali quasi antipathia averfionis motus rationem præveniat, culpa vacat, dummodo eum reprimere ratio nitatur, ne in voluntariam abominationem, aut inimicitiam degeneret. Quod si non tam proximi personam, quam ejus ineptum agendi, loquendi modum, ipsumque ejus peccatum averferis, nãdum a peccato immunis, sed laudabilis omnino tua averfio erit, ac salubre odium; quia cum dilectione hominum optime componi valet; Deus quippe ipse impietatem odit: & David impios, qua tales, odio habuit; sicut enim omnia Dei opera digna amore, ita & diaboli opera, scilicet peccata odio digna sunt. Ne tamen subzeloso hoc peccati odio, aliud proximi vitiosum se recondat, prout jam supra monuimus, caute est advertendum.

Odium inimicitiaẽ erga Deum, nisi imperfectio actus excuset, grave semper, imo omnium gravissimum est peccatum; quia (uti sanctus Thomas 2. 2. quæst. 34. art. 2. probat) per odium per se & directe quis se a Deo avertit, cum aliis in peccatis puta in fornicatione &c. ratione alterius videlicet conversionis ad creaturam, quæ eum conversione ad Deum stare non potest, a Deo avertatur. *Semper autem id, quod est per se, est potius eo, quod est secundum aliud:*

unde odium Dei inter alia peccata est gravissimum.  
Hinc in scriptura legitur: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te a facie tua (Num. 10.)*.

Odium pariter inimicitiae erga proximum, nisi levitate materiae &c. minuatur, peccatum mortale est; quia caritati, quae bono proximo delectatur, eique congaudet, e diametro opponitur. Omnis (ait S. Joannes *Ep. I. cap. 3.*) *qui odit fratrem suum homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem.* Et licet odium in effectu minus quam homicidium proximo noceat, affectus tamen ejus qui odit, sua sapientia malitia corruptum homicidae affectum exsuperat. Quanto tempore odium foverit, ac quoties illud dimissum, vel abruptum deliberate renovarit, ex poenitente est quaerendum. Si post repetitas aliquoties confessiones necdum mutatum animum, ipsaque suggesta remedia neglecta comperiat, sine absolutione dimitti, & efficacius ad remediorum applicationem adstringi debet (a).

Quam

(a) Ut salutare odium erga odium in poenitente excites; quantum emolumentum toto, quo odium fovit, tempore ipsi exinde accreverit? quaeras. Abs dubio nihil omnino commodi odium sibi attulisse fatebitur. Hac responsione obtenta jam econtra damna, quae ex odio non in proximum, sed in ipsius osoris corpus & animam manarunt, energice expone, haecque ut quotidie vel breviter recogitet, suade. Tum ad amorem proximi denota

Quantumvis omnis qui inimico odio alium odit, malum illius optat; non tamen econtra omnis, qui malum proximo optat, inimicitiae odium erga eundem gerit. Nam (prout divus Thomas in 3. dist. 33. art. 1. docet) potest quis caritate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel civitatis aut Ecclesiae. Similiter de malo temporali ejus, secundum quod per malum poenae impeditur frequenter malum culpae ejus (a).

Odium

denuo utcumque reducendum serio eidem injunge. 1. Ut in crucifixum, qui jamjam agonizans pro inimicis patrem exoravit, certis diei horis respiciat. 2. Ut se suumque antagonistam in amorosum Jesu cor ac latus recondat. 3. Ut de mane, vel in Missa post elevationem indies pro inimico quidquam oret, & a Deo proximum diligendi gratiam postulet. 4. Ut obviam factum hominem exosum tanquam Dei imaginem, Christi membrum, caelestisque regni cohæredem, ac Angeli custodis clientem salutet, communia officia non neget, imo, nisi quid aliud obstet, suavi affabilitate placare, sibi que devincire studeat.

(a) Hæc S. Thomæ ab illa doctrina, quam damnatae propositiones continent, admodum differt. Damnatarum propositionum defensores, nos proximo malum optare licite posse, vel de eo gaudere in qua tum ex illo bonum quoddam temporale & privatim nobis accedit, asserere sunt ausi, id quod a caritate alienum est. D. Thomas econtra de illo solum proximi malo, quod in bonum spirituale animæ, aut publicum Reipublicæ vergit, quodque saltem indirecte proximo pro-

Odium diutius retentum ad faciendas proximo maledictiones, aut imprecationes provocat, quæ secundum quod malum grave, ipsiusque imprecantis affectus efficax ac deliberatus fuerit, graviter caritatem lædunt, ac grave peccatum constituunt. Unde Apostolus maledictis raptoribus adjungit, inquit: *Neque maledicti neque rapaces regnum Dei possidebunt* (1. Cor. 6.). Maledictionibus publicis grave sæpe scandalum accedit, ipsiusque mali diversitas, aut acerbitas earum gravitatem auget. Gravior, quæ in personas magis amabiles; gravissima quæ in parentes, superiores &c. dirigitur. Hinc Deus olim legem tulit, ut *qui maledixerit patri suo & matri morte moriatur* (Levit. 20.). Patrum, ludimagistrorum, artificum, militum rusticorum hoc vitium est; qui tamen sæpe de solertia, aut inimicitia se accusant, maledictionum &c. nullam facientes mentionem. Interrogant proinde, & si consuetudinarii sint, priusquam sese emendare studeant, non absolvendi (a).

prodest, nos impune gaudere posse docet. Quæ caritatis ordini maxime congruit. Propositione damnatæ videantur pag. 375.

(a) Remedia contra maledicendi (sicut & blasphemandi) consuetudinem sunt 1. Statim post imprecationem interne contrarium benevolentiae actum elicere. 2. Quid certum pro homine orare. 3. Vel toties, quoties &c. certam elemosinam cuidam pauperi erogare. 4. Deum Eucharisticum dum linguæ imponitur, humiliter rogare, quatenus hanc sanctificare, & ab hoc vitio præterire misericorditer velit, illaque dignum potest.

Scandali notio, origo, & damna. 411

Quodsi tamen rustici, aurigæ &c. brutis, rebus-  
que aliis maledicant, peccatum ab impatientia  
distinctum vix umquam committunt, nisi forsan  
grave damnum exinde proximo, rerum harum  
domino, illatum cuperent.

CAPUT II.

Scandali notio, origo, & damna.

Ut rite defini sci scandalum possit, in activum  
prius & passivum dividi debet. Scandalum  
activum est dictum, vel factum minus rectum  
præbens alteri occasionem spiritualis ruinæ seu  
peccati. Ad dictum & factum etiam omissiones,  
quæ alios turbant, reducendæ sunt. Scand-  
alum passivum ipsa spiritualis proximi ruina est,  
seu peccatum illud, quod proximus occasione tui  
dicti, facti, vel omissionis commisit. Duplex  
est: unum *per se datum*, quod ex mala agentis  
intentione, aut ipsa mala operis vel sermonis  
conditione in alio oritur: alterum *per accidens*  
*acceptum*, quod occasione tui facti &c. præter  
omnem intentionem, & operis conditionem ex  
casuali sinistra videntis, vel audientis interpreta-  
tione sequitur. Quodsi sinistra hæc interpreta-  
tio ex ignorantia, vel infirmitate speciali sit  
profecta, scandalum *pusillorum*; sic ex malitiosa  
cordis dispositione provenerit, scandalum *phari-*  
*sæicum* erit.

Scan-

tius adorationis, ac laudis divinæ instrumentum  
efficere.

Scandalum per se datum, sive *directum*, dum quis data opera proximum ad peccatum inducit, sive *indirectum*, ut dum coram eo quod quam agit, aut loquitur, ex quo spiritualis illius ruinam prævidere probabiliter potest, peccatum ex natura sua grave est (a). *Væ homini illi, per quem scandalum venit*, Christus prædixit (*Matth. 18.*). Et Apostolus eum, qui propter cibum fratrem scandalizat, *jam non secundum caritatem ambulare* scripsit (*Rom. 14.*) Scandalum proin caritatem elidit, & fraternæ correctioni recta opponitur, quia malum peccatum quod correptio a proximo propulsat, scandalum inducit, aut revocat.

Peccati hujus sæpe reos se faciunt conjuges qui multa agunt aut loquuntur, quæ liberis nocent; patresfamilias, qui blasphemias, & turpitudines coram

(a) Sitne scandalum *indirectum*, id est per se non intentum (nam de directo nullum movetur dubium) speciale peccatum quod pravi operis malitiam novam malitiam superaddat; Doctores disceptant. Quidam affirmant, negant alii circumstantiis speciem mutantibus, alii circumstantiis solum aggravantibus illud accensent. Sive his sive illis subscribas, quoad proximum interest. Nam ex una parte circumstantiis non minus aggravantes, quam speciem mutantibus in confessione sunt exprimendæ, uti suo loco dicetur; ex altera parte vincibilem inadvertentiam a peccato non excusare jam supra (*Tr. 3. pag. 215. in Not.*) monuimus. Traditum ibi doctrinam relege; & scandalum *indirectum* an, quando, & quale peccatum sit, facile intelliges.

coram domesticis proferunt, crapulati post noctis medium redeunt &c: Cantores qui amatorias cantilenas in tabernis decantant; Pictores, Statuarii &c. qui denudata hominum umulacra exponunt &c. In his nædum numerus actionum scandalosarum, sed & numerus inspicientium audientium, de quibus spirituale damnum time-ri potest, in confessione esset exprimendus, sed multis, præsertim hystriorum, pictorum &c. scan-dalis haud inepte epiphonematis loco illud ap-plicari posset: *Numerata, si potes.*

Ut autem scandalum evitetur ante omnia  
1. Verba seductoria, quibus ad malum incauti pertrahuntur, numquam sunt proferenda. 2. Omne factum peccaminosum coram spectatori-bus, ubi & quantum fieri potest, est impediendum. 3. Opera indifferentia, & aliunde licita scandali impediendi gratia omitti aliquoties de-bent, donec sic agendi ratio nonnullis infirmis exposita fuerit, postea si scandalum sequatur, non datum, sed acceptum & pharisaicum erit. 4. Exercitia itidem pia, uti opera misericordiæ, si ex iis scandalum pusillorum prævideatur, ali-quamdiu occultanda sunt, aut differenda, donec congrua monitione scandali periculum sit submotum; secus si occasione eorum scandalum pharisaicum suborturum prævidea-tur. 5. Ad actum præceptum omittendum, ut scandalum evites, vix umquam teneris; quia illud, quod timeatur, scandalum vix aliud quam pharisaicum esse potest. Quodsi tamen casu raro scandalum pusillorum consequeretur, quidam Auctores docent, actum lege positiva præ-

præceptum ex epjikia omitti aliquoties possunt, quibus tamen alii sat multi & graves contraveniunt. 6. Nullo tamen casu actionem, lege naturali prohibitam, ut scandalum impediat, interponere licet; quia non sunt facienda in sepe mala, ut qualiacumque bona eveniant, & alia repellantur mala. *Si de veritate scandalum sumitur* (inquit sanctus Gregorius homil. 7. in *Ezech.*) *utilius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquatur.* 7. Denique inter mala unum committere parato non potes potius suadere, ut eligat minus; quia sic in eum actum influeres, sed dissuadere majus malum teneris, & ad alterum te permissive habere, utrumque simul impediendi tibi facultas delat. Plura, quæ scandalum contingunt, jam supra de peccatis alienis (*pag. 291.*) diximus, ubi addideri possunt (a).

Nonnulla alia, quæ cum caritate pugnant, sanctus Thomas, aliique Theologi hic vitare censent. Horum aliqua jam in *Tract. de peccatis*, præcipue capitalibus, exposuimus; reliqua infra, ubi de peccatis secundæ tabulæ deversis sermo erit, breviter explicabimus.

(a) Qui per directum scandalum aliquem seductum ita seductum, ut resipiscat, efficaciter hortari tenetur. Scandali indirecti reus in eadem materia publice contrarium agere, ac loqui, & non quoque exemplo vulneribus, quæ proximo iniungit, mederi tenetur. Remedia communiora sunt. 1. Tarditas in loquendo, 2. circumspectio in agendo, 3. frequens divinæ præsentis recordatio. His tria ultima adde, quæ paulo supra (*pag. 404. in Not.*) propinavimus.